



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

6 De defectibus, quæ occurrunt in celebratione Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

SECTIO II.

Virum teneatur sacerdos, præcepto omnes Missæ ceremonias seruare, quæ in actione consistunt.

Hæc quaestio eadem proportione expedienda est, quæ similem tractauimus de ijs, quæ in Missa sunt dicenda, disputatione precedenti. Primo itaque certum est, latum esse ab Ecclesia præceptum seruandi ritum ab ipsa institutum in Missæ celebratione, non solum quoad verba, sed etiam quoad actiones. Nam Concilium Tridentinum dicto capitul. sessione 22. & Pius Quintus in Missali, de hoc etiam ritu diserte loquuntur: & rationes supra factæ non minus procedunt de actionibus, quam de verbis: scilicet, quia ita expedit, vt omnia ordinate fiant in tam graui ministerio, & vt superstitiones vitentur.

Secundo est certum, hoc præceptum dupliciter violari posse: sc. vel solum omitendo, vel etiam addendo nouos ritus & ceremonias, præter eas, quæ ab Ecclesia approbatae sunt: nam præceptum non tantum est affirmatiuum, sed etiam exclusiuum, vt sic dicam. Vnde Pius Quintus distinctè prohibet, addere, tam alias ceremonias, quàm alias preces: & Conc. Trident. similiter dicit, Ne ritus alios, aut alias ceremonias & preces, &c. & in specie prohibet ritum vtendi certo candelari numero, tanquam continente aliquid efficaciar, vel mysterij. Vnde etiam fit hunc modum transgrediendi hanc legem per additionem nouorum rituum, esse ex se grauiorem, & maioribus periculis expositum, sicut dictum est de verbis, & propter eandem rationes.

Tertio dicendum est, hoc peccatum ex genere suo mortale esse: tamen ex leuitate materij, vel inaduerrentia posse esse veniale. Probatur eadem ratione, quæ de verbis idem asseruimus. Et quidem, quando peccatur per additionem, si id reuera fiat, animo immutandi vel addendi nouum ritum, pertinentem ad nouum modum cultus vel adorationis, qui non est in vlti Ecclesiæ, vel ad specialem significationem mysticam ab Ecclesia non statutam, regulariter loquendo, semper erit peccatum graue, quia est materia grauis superstitionis, eo quod fit in publico & grauisimo ministerio Ecclesiastico: vnde ex se scandalum inducet. Si autem hoc non fiat animo inducendi nouum omnino ritum, sed ex peculiari deuotione aliquis faciat actionem aliquam: ex se bonam & religiosam, non tamen in ritu Missæ contentam, quamuis indiferece faciat, & venialiter etiam peccet (si ob aliquam ignorantiam non excusetur) tamen non peccabit mortaliter: quia sine dubio materia leuis est. Atque idem fere iudicium est de omissione: nam, si solum fit in aliqua re pertinente ad conuenientem modum agendi, regulariter non videtur mortale peccatum: si autem omisio sit alicuius ceremoniæ grauioris, continentisq; specialem significationem, materia erit grauis, vt, si quis omitteret mitionem, aquæ & vini, fractionem hostiæ, aut mitionem, vel signa omnia vel plura, quæ sunt super oblata, vel alia huiusmodi.

Scilicet in hoc secundo genere peccandi per omissionem, inquiri potest, an propter impotentiam excusari possit à culpa talis omissionis, vt, v. g. si quis mitionem aquæ omittat, quia illam non habet, &c. In quo dicendum est, dupliciter hoc accidere posse: primo, vt impotentia præuisa sit ante inchoatam Missam: secundo, vt bona fide Missa incepta, postea vero eo tempore, quo facienda est cæremonia, cognoscatur impotentia. Quando cõtingit priori modo, regulariter loquendo, potius est omitenda Missa, quam cum tali defectu dicenda, nisi intercedat specialis dispensatio: quia actio, quæ non potest debito modo fieri, potius omitenda est, quam indubitate exercenda: hoc autem moraliter est intelligen-

dam, considerata rei grauitate, & necessitate dicendi sacrum, seu incommodo, quod ex eius omissione consequi potest, & præsertim verum habet in his ceremonijs, quæ vel proxime ad substantialia accedunt, vt sunt mitionis aquæ, panis azymus, fractio sacramenti, & mitionis: vel si etiam sint adeo publicæ & solennes, vt sine scandalo omitri nõ possint, vel sint eleuatio sacramenti, dicere Missam stando, & non sedendo, vel similes. In his tamen, cum sint de iure positio, cadere posset dispensatio ex rationabili causa: & præcauendo, vt in illius vtu nullum sit scandalum: secus vero est in alijs, quæ substantialia sunt, vel ita proxima, vt iure diuino censentur necessaria, vt est consecratio vtriusque speciei, & consumptio: de quibus supra dictum est. At vero, si defectus seu impotentia non sit præuisa ante inchoatam Missam, potest ordinarie seruari regula, quæ ex D. Thom. art. sequenti ad secundum sumitur: quod si impotentia præuideretur post consecrationem, & absolendum est sacrificium, quia, cum sacrificium sit substantialiter inchoatum, non debet, propter accidentalem ritum, imperfectum dimitti. At vero, si antea cognoscatur, & cæremonia grauis sit, omitendum est sacrificium: quia, cum nondum sit substantialiter inchoatum, potius est omitendum, quam in debito modo faciendum: vt verbi gratia, si tempore oblationis calicis sacerdos intelligat, deesse aquam, & nõ possit expectare, donec afferatur, potius debet omittere, quam ulterius progredi, aut consecrare sine mitione aquæ: quia, iuxta ritum Ecclesiæ, illa censetur res valde grauis, si autem res esset leuior, prudenter pensandum est, quod videatur maius incommo- dum, aut ministerium inchoatum relinquere, aut cum illo defectu perficere, & si vnusquisq; in eo casu id faciat, quod magis expedire censuerit, non peccabit. Illud solum præ oculis habendum est, vt scandalum semper caueatur.

Supererat hic dicendum de ritu celebrandi cum vno vel multis ministris, quod hic D. Thomas tangit D. Thom. in solutione ad 12. de hoc autem dicemus commodius infra, speciali disputatione de obligationibus ministrorum. Quod vero D. Thomas attingit in solutione ad 11. de reservatione huius sacramenti: tractatum late est supra disputando de permanente præsentia Christi in hoc sacramento, & de viuis eius, atque ita explicata sunt omnia, quæ D. Thom. tangit in articulo.

ARTICVLVS VI.

Verum possit sufficienter occurrere defectibus circa celebrationem huius sacramenti occurrentibus, statuta Ecclesiæ obseruando.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non possit sufficienter occurrere defectibus, qui circa celebrationem huius sacramenti occurrunt, statuta Ecclesiæ obseruando. Contingit enim quandoque, quod sacerdos ante consecrationem, vel post, moritur vel alienatur, vel aliqua alia infirmitate impeditur, ne sacramentum sumere possit, & Missam perficere. Ergo videtur, quod non possit impleri statutum Ecclesiæ, quo præcipitur, quod sacerdos consecrans suo sacrificio communique.

1. Præterea, Contingit quandoque, quod sacerdos ante consecrationem, vel post recolit, se aliquid comisisse vel distulisse, vel etiam alicui peccato mortali subiaceat, vel etiam excommunicationi: cuius prius memoriam non habeat: necesse est ergo, quod ille, qui est in tali articulo constitutus, peccet mortaliter, contra statutum Ecclesiæ faciens suæ sumat.

2. Præterea, Contingit quandoque, quod in calicem missæ vel aranea, vel aliquod animal venenosum cadit post consecrationem: vel etiam cognoscitur sacerdos, alicui venen-

esse immixtum ab aliquo malculo, causa occidendi ipsum. In quo casu, si sumat, videtur mortaliter peccare se occidendo, vel Deum tentando: similiter, si non sumat, peccat contra statum Ecclesie faciens. Ergo videtur esse perplexus, & subiectus necessitati peccandi, quod est inconueniens.

Alias sacri-
ficium.

4. Præterea, Contingit quandoq; quod per negligentiam ministri, aut aqua non ponitur in calice, aut etiam nec vinum, & hoc sacerdos aduertit. Ergo in hoc etiam casu videtur esse perplexus, siue sumat corpus sine sanguine (quasi imperfectum faciens sacramentum) siue non sumat, nec corpus nec sanguinem.

5. Præterea, Contingit quandoq; quod sacerdos non recollit, se dixisse verba consecrationis, vel etiam alia, que in celebratione huius sacramenti dicuntur. Videtur ergo peccare in hoc casu, siue reiteret verba super eandem materiam, que forte iam dixerat, siue ritatur pane & vino non consecratis, quasi consecratis.

6. Præterea, Contingit quandoq; propter frigus, quod sacerdoti dilabatur hostia in calicem siue ante fractionem, siue post. In hoc ergo casu non poterit sacerdos ritum Ecclesie implere, vel de ipsa fractione, vel etiam de hoc, quod sola tercia pars mittatur in calicem.

7. Præterea, Contingit quandoq; quod per negligentiam sacerdotis sanguis Christi effunditur, vel etiam, quod sacerdos sacramentum sumptum vomit, aut etiam, quod hostia consecrata tamdiu conseruatur, vt putrescat, vel etiam à muribus corrodantur, vel etiam qualitercunq; perditur. In quibus casibus non videtur posse huius sacramenti debita reuerentia exhiberi secundu[m] Ecclesie statuta. Non videtur ergo, quod hoc defectibus, seu periculis occurrere possit, saluis Ecclesie statutis.

Sed contra est, quod, sicut Deus, ita Ecclesia non precipit aliquid impossibile.

Respondio dicendum, quod periculis, seu defectibus circa hoc sacramentum contingentibus dupliciter potest occurrere. Vno modo preveniendo, ne scilicet periculum accidat. Alio modo, subsequendo, vt scilicet id, quod accidit, emendetur, vel adhibendo remedium, vel saltem per penitentiam eius, qui negligenter egit circa hoc sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod si Sacerdos morte aut infirmitate graui occupetur ante consecrationem corporis & sanguinis Domini, non oporteat, vt per alium suppleatur. Si vero, incepta consecratione, hoc acciderit [putra, consecrato corpore ante consecrationem sanguinis, vel etiam consecratio retroq;] debet Missa celebrari per alium expleri. Vnde, vt habetur in Decretis. 7. questione prima, capitulo Nichil, in Tolitano Concilio legitur: Consensus conuenire, cum sacerdotibus Missarum tempore mysteria sacra consecrantur, si agri aditus accidat cuiuslibet euentus, quo copium nequeat expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri, consecrationem exequi incepti officij. Non enim aliud competit ad supplementum initiatu[m] mysterijs, quam vt, aut in ipientis, aut subsequenti benedictione sint completa Sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfecta ordine compleantur. Cum enim sumus omnes vnum in CHRISTO, nihil contrarium diuersitas personarum format, vbi efficaciam prosperitatis vnitatis fidei representat. Ne tamen, natura quod languidioris causa consulitur, in presumptionis perniciem conuertatur, nullus absque prætenti patientis molestia, minister vel sacerdos cum coeperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere: si quis hoc temerarie presumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.

Ad secundum dicendum, quod vbi difficultas occurrit, semper est accipiendum illud, quod habet minus de periculo. Maxime autem periculosum circa hoc Sacramentum est, quod est contra perfectionem huius Sacramenti, quia hoc est immane sacrilegium. Minus autem est illud, quod pertinet ad qualitatem iumentis. Et ideo, si Sacerdos post consecra-

tionem inceptam, recordetur se aliquid comedissee, vel bibissee, nihilominus debet percipere sacramentum, & sumere Sacramentum. Similiter, si recordetur, se peccatum aliquid commississe, debet penitere cum proposito consistendi, & satisfaciendi, & sic non indigno, sed fructuose sumet Sacramentum. Et eadem ratio est, si memnerit se excommunicatione cuiusque subiace; debet enim assumere propositum humiliter absolutionem petendi, & sic per inuisibilem pontificem IESVM CHRISTVM absolutionem consequitur, quantum ad hunc actum, quod peragat diuina mysteria. Si vero ante consecrationem alicuius prædictorum sit memor, tutius reputarem, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam deserat, nisi graue scandalum timeretur.

Ad tertium dicendum, quod si mistica vel aranea in calicem ante consecrationem ceciderit, aut etiam venenum deprehenderit esse immixtum, debet effundi, & ablato calice denuo aliud vinum poni consecrandum. Si vero aliquid horum post consecrationem acciderit, debet animal caute capi & diligenter lauari & comburi, & ablutio cum cineribus in sacrarium mitti. Si vero venenum ibi esse deprehenderit immixtum, nullo modo debet sumere, nec alij dare, ne calix vita verteretur in mortem: sed debet diligenter in aliquo vasculo ad hoc apto cum reliquijs conseruari. Et, ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuo resumere à consecratione sanguinis & sacrificium percipere.

Ad quartum dicendum, quod, si Sacerdos ante consecrationem sanguinis, & post consecrationem corporis percipiat, aut vinu[m], aut aquam non esse in calice, debet statim apponere, & consecrare. Si vero post consecrationis verba perciperit, quod aqua delit, debet nihilominus procedere, quia impositio aque (vt supra dictum est) non est de necessitate Sacramenti. Debet tamen penitere, ex cuius negligentia hoc contingit. Nullo autem modo debet aqua vino iam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte, vt supra dictum est. Si vero percipiat post verba consecrationis quod vinum non fuerit positum in calicem, si quidem hoc percipiat ante sumptionem corporis, debet, posita aqua, si ibi fuerit, imponere vinum cum aqua, & sumere à verbis consecrationis sanguinis. Si vero hoc perciperit post sumptionem corporis, aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum sanguine. Quod ideo dico, quia si diceret sola verba consecrationis sanguinis, non seruetur debitus ordo consecrandi, & sicut dicitur in prædicto canone Tolitano Concilij, perfecta videri non possunt 7 can. 1. vel sacrificia, nisi perfecto ordine compleantur. Si vero inciperet à consecratione sanguinis, & repeteret omnia verba con- sequentia, non competeret, nisi ad esset hostia consecrata cum in illis verbis occurrant quedam dicenda & fienda non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et debet in fine iterum sumere hostiam consecratam & sanguinem; non obstante etiam si prius sumpserit aquam, que erat in calice: quia præceptum de perfectione, vel de perceptione huius Sacramenti maioris est ponderis, quam præceptum, quod hoc Sacramentum à se iunus sumatur, vt supra dictum est.

Ad quintum dicendum, quod, licet Sacerdos non recolat, se dixisse aliqua eorum qua dicere debuit, non tamen debet ex hoc mente perturbari; non enim, qui multa dicit, recollit omnium, que dixit: nisi forte aliquid in dicendo apprehenderit sub ratione iam dicta, sic enim aliquid efficitur memorabile. Vnde, si aliquis attente cogitet illud, quod dicit, non tamen cogitet, se dicere illud, non multum postea recollit se dixisse. Sic enim sit aliquid obiectum memoria, in quantum accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in lib. de memoria. Si tamen sacerdoti probabiliter cõstet, se aliqua omisisse, si quidem non sunt de necessitate sacramenti, non existimo, quod propter hoc debet resumere, immutatio ordinem

Concil. VII
Tol. can. 1. vt,
vel 2. secundu[m]
alium dicitur
for coadit.
Et habetur
7 q. 1. c. Nichil.

In Conc. Tol.
2. secundum
aliquos co-
dicet.

80 ar. 8
q. 82. ar. 4.

In lib. de me-
moriam cap. 1.
eo 2. inter o-
para Arist.
dinem

anem sacrificij: sed debet ulterius procedere. Si vero certificetur, se amisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, scilicet formam consecrationis, cum forma consecrationis sit de necessitate sacramenti, sicut & materia, idem videtur faciendum, quod dictum est in defectu materie, vt, scilicet resumatur à forma consecrationis, & cetera, per ordinem reuerentur, ne mutetur ordo sacrificij.

In solut ad 4. argu. hic in isto articulo

Ad sextum dicendum, quod, fractio hostie consecratae, & quod vna sola pars mittatur in calicem, respicit corpus mysticum, sicut admixtio aque significat populum. Et ideo horum prætermissio non facit imperfectionem sacrificij, vt propter hoc sit necesse aliquid reiterare circa celebrationem huius sacramenti.

De consec. d. 2. Si per negligentiam.

Ad septimum dicendum, quod, (sicut legitur de consecratione distim. 2. ex decreto Pij Papa*) super negligentiam aliquod de sanguine stillauerit in tabulam, quæ terre adheret, lingua lambetur, & tabula raderetur. Si vero non fuerit tabula, terra raderetur, & igni consumeretur, & cinis intra altare condetur, & Sacerdos quadraginta diebus peniteat. Si autem super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus peniteat. Si super linteam altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus peniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus peniteat. Si vsque ad quartum, viginti diebus peniteat, & linteamina, quæ stilla tetigerit, tribus vicibus lauet minister calice subitus posito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recondatur: possit etiam sumi in potam à ministro, nisi propter abominationem dimitteretur. Quidam autem ulterius partem illam linteaminum incidunt, & comburunt, & cinerem in altari, vel sacrario reponunt. Subditur autem ibidem ex penitentiali

Ead. d. 2. e. Si quis per ebrietatem.

Beda* presbyteri. Si quis per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam euomerit, quadraginta diebus peniteat, si laicus est; clerici, vel monachi, seu diaconi & presbyteri, septuaginta diebus peniteant: Episcopus, nonaginta. Si autem infirmitatis causa euomerint, septem diebus peniteant. Et eadem distinctione legitur ex Concilio Arelatensi.*

Ead. d. 2. e. Qui bene non custodierit.

Qui non bene custodierit sacramentum, & mus, vel aliquid aliud animal, illud comederit, quadraginta diebus peniteat. Qui autem perdidit illud in Ecclesia, aut pars eius ceciderit, & non inuenta fuerit, triginta diebus peniteat. Et eadem penitentia videtur dignus Sacerdos, per cuius negligentiam hostie consecratae putrefiunt. Prædictus autem diebus debet penitens ieiunare & à communione cessare. Pensatis tamen conditionibus negotij & persona, potest minus, vel addi penitentiam prædictam. Hoc tamen obseruandum est, quod vbicumq; species integre inueniuntur, sunt reuerenter seruanda, vel etiam sumenda, quia manentibus speciebus, manet ibi corpus Christi, vt supra dictum est. * Ea vero in quibus inueniuntur, si commode fieri potest, sunt comburenda, cinere in sacrario recondito, sicut de rasura tabula dictum est.*

g. 87 art. 5. Et loca ibi citatis. In istius solutionis primo.

DISPUTATIO LXXXV.

De obligatione supplendi defectus inter sacrificiandum commissos.



Vplex obligatio hic interuenire potest, vna est præcauendi huiusmodi defectus, antequam Missæ sacrificium inchoetur, vel etiam antequam fiat: de hac nihil ferè nobis superest dicendum præter dicta in superioribus, & proxime tacta in fine disputationis præcedentis. Altera obligatio esse potest de cauendis his defectibus post inchoatum sacrificium Missæ, vel supplendi illos, si commissi iam sint. De qua re multa dicit hic D. Thomas, multa que habentur in Missali: vt tamen breui methodo omnia comprehendamus, reducemus hos omnes defectus ad duo capita: quidam enim sunt in rebus substantialibus, sub quibus comprehendō, non tantum ea, quæ in rigore essentialia sunt, sed et

D. Thom.

iam omnia, que pertinent ad consummationem sacrificij. Alij vero defectus esse possunt in ritibus mere accidentalibus.

SECTIO I.

Quomodo sint cauendi, vel supplendi defectus substantialis huius sacrificij.

PRIMA regula certa sit: si in materia vel forma commissus sit essentialis defectus, illum esse omnino suppleendum. Probat, quia facere sacrificium mutilum & imperfectum, intrinsece malum est: tale autem sacrificium imperfectum fuit essentialiter: ergo necesse est illum pericere, supplendo defectum: atq; hinc à fortiori constat, si defectus nondum sit commissus, omnino præcauendum esse: si fit in hominis potestate, & præuideatur, vt, verbi gratia, si post consecrationem hostiæ, ante consecrationem calicis, Sacerdos præuideat in eo non esse vinum, omnino debet illum apponere, priusquam progrediatur, vt per se constat: quod si fingatur casus, in quo nullo modo possit vinum ad manum haberi, nullo modo potest verba consecrationis calicis proferre, cum materiam commodam non habeat: imo nec debet ulterius progredi, cum sine præsentia sanguinis vix possit vllam ex sequentibus cæremonijs rite & vere peragere. Nihilominus in Missali Romano dicitur, in eo casu procedendum esse, & Missam absoluedam: ita ergo fit, tamen non esset facienda mentio sanguinis, in signis, & alijs locis, vbi fieri solet. Neque tunc imputabitur ei imperfectio sacrificij, quia, vt supponimus, neque illam præuidit antea, neque post potuit vitare. Quocirca, si, ante consecrationem hostiæ, illum defectum, & impotentiam vitandi illum præuidisset, nulla ratione possit licite hostiam consecrare: neque admittenda est villa ratio vel causa incommodi vitandi, propter quam hoc liceat. Nulla enim esse potest, cum hoc intrinsece malum sit. Et eadem ratione, si post consecrationem hostiæ, præuideret defectus aliquis non omnino essentialis, valde tamen grauis, vt, verbi gratia, defectus aquæ, quamuis ille vitari non possit, non esset propterea omittenda sanguinis consecratio in solo vino: quia magis necessarium est, essentialiam sacramenti pericere, quam cæteros defectus vitare. Imo addit D. Thom. ad 4. quod, si post consecratum purum vinum, recordetur sacerdos non miscuisse aquam, nõ debet illam postea miscere, etiam si possit. Quia sequeretur (inquit) corruptio sacramenti pro aliqua parte, que ratio non est magni momenti, nam potius aqua corrumpitur ac species sacramentalibus sic ut corrumpitur à vino. Ratio ergo est propter reuerentiam sacramenti: & quia iam non habet locum illi cæremonia, vt instituta est, & per hæc de alijs similibus iudicandum est.

Sed circa hanc regulam inquiri potest primo, propter argumentum 4. D. Thom. quomodo suppleendus sit hic defectus: quando, verbi gratia, Sacerdos consecrauit calicem cum sola aqua, & postea commisit defectum, nam D. Th. hic ad 4. dicit, si sacerdos ante summptionem corporis intelligat huiusmodi defectum, debere statim vinum apponere, & sanguinem conmiscere, ac si pericere sacrificium, quod est per se clarum, & omni carens difficultate, quidquid Paludanus citandus dicit. Si vero, sumpto iam corpore, sentit defectum, tunc ait D. Th. non debere sacerdotem solum vinum apponere, & consecrare, sed iterum etiam hostiam apponere, & consecrare simul cum sanguine: quia alias nõ seruaretur debitus ordo consecrationis. Dicitur autem in Concilio Toletan. VII. c. 1. non esse perfectæ sacrificij, nisi perfectò ordine compleatur: Sequela vero patet, quia, si solus sanguis postea, consecraretur absque corpore, non possent conuenienter repeti omnia, quæ in Missa dicuntur post consecrationem calicis, quam in eis multa occurrunt.

runt faciendam & dicendam; non solum circa sanguinem, sed etiam circa corpus. Et hanc opinionem sequuntur Paludani. distinct. 11. questione. 1. articulo. 2. Syluest. Euch. 1. 2. questione decima. Et potest hæc opinio confirmari; quia si iam prior hostia consecrata, consumpta fuit; quoad illam, iam fuit omnino transacta actio sacrificandi: ergo, ut postea possit sanguis consecrari; debet iterum consecrari etiam corpus, ne vna species sine alia confici & consumi videatur. Confirmatur secundo auctoritate Pij Quinti, in cuius Missali præcipitur, ut hic defectus suppleatur hoc modo à D. Thom. tradito. Nihilominus Scotus in 4. distinctione 8. quæst. 3. dicit, etiam in hoc secundo casu scilicet; quando consumptum est corpus sufficere; calicem iterum consecrare; & statim sumere absque altarum ceremoniarum repetitione: quam opinionem docuit, ut æque probabilem D. Thom. in 4. d. 11. in expositione literæ circa 11. & Soto d. 13. q. 2. articulo. 6. ad 4. dicit, hanc opinionem esse sequendam in præxi; quando Missa sit in publico, propter vitandum scandalum: & eandem opinionem tenet Nauar. capit. 25. numer. 91. Angel. verb. Missa, numer. 17. Ratio huius opinionis est; quia hic modus est sufficiens ad perficiendum sacrificium: & alioqui est aptior, ut sine scandalo fiat, & æque eo, quod populus intelligat defectum: ergo. Maior patet: quia, cum iam consecrata sit hostia, & non deest, nisi sanguis, ut sacrificium compleatur, satis erit, sanguinis consecrationem & summptionem adiungere. Quin potius, si vtriusque speciei consecratio iteretur, ut D. Thomas vult, id non erit, sacrificium prius, inchoatum perficere, sed nouum integrum sacrificium facere; priori imperfecto relicto. Et confirmatur, quia, si ante consumptum sacramentum percipiatur defectus, satis est, consecrare calicem, ut D. Thomas faceret: ergo & post summptionem corporis, patet consequentia; quia si in eo casu, repetenda sunt omnia; quæ super corpus & sanguinem dici solent post consecrationem, eadem ratione repetenda erunt, quæ super panem & vinum dici solent in canone ante consecrationem, quia etiam illa non fuerunt rite peracta, neque etiam de nouo iterari possunt; nisi noua hostia consecranda adiungatur, quia in signis, quæ tunc fiunt, & verbis, quæ dicuntur, vtriusque speciei fit mentio, & vtriusque grata oblatio, & benedictio postulat: quod si illa priora non est necesse repetere, quia accidentaliter sunt, neque etiam erit necessarium repetere signa & verba; quæ post consecrationem dicuntur, quia etiam illa sunt accidentaliter. Vnde Palud. supra sequenter ait, etiam si prior hostia consecrata consumpta non sit, nouam esse consecrandam; quia patet in huiusmodi euentibus semper esse necessarium, totum canonem iterare. Quod tamen sine fundamento aut probatione dicit: nulla est enim huius necessitas; alioqui etiam prior oblatio; & quæ post illam sequuntur, essent omnia iteranda. Non est ergo necesse iterare, quæ accidentaliter sunt: maxime, cum sint rite perfecta quo ad omnes actiones exteriores, & quoad omnia verba, quæ formaliter, & ex intentione proferentur vere etiam prolata sunt, & referuntur ad verum panem & vinum consecrandum: ergo nihil in his repetere oportet: ergo ex hoc capite non erit necessarium hostiam iterum consecrare, siue illa consumpta prius fuerit, siue non, in his ergo sufficet seruare regulam ab Innocentio traditam, in cap. 1. & 2. de sacram. non iterandis. In talibus nihil esse iterandum, sed caute suppiendum, quod incaute fuerat præmissum. Et per hæc responsum est ad fundamentum contrariæ sententiæ.

Ad primam confirmationem respondetur, quamdum durat actio sacra vsque ad consumptionem, totam censeri vnam moralem actionem: & ideo, quamuis post consumptum corpus, solus calix consecratur, non censetur vna species confici sine alia, quia hæc consecratio sanguinis moraliter coniungitur

Fr. Suarez Tom. 3.

priori consecrationi hostiæ, & ex vtraque fit vna moralis actio, & vnum sacrificium. Ex quo obiter intelligitur, si Sacerdos non percipiat defectum; donec Missam iam omnino absoluerit, non posse consecrare solum sanguinem, ad integrandum prius sacrificium: quia iam actio esset omnino distincta moraliter; nec coniungeretur cum priori ad vnum sacrificium integrandum. Et eadem ratione non tenetur in eo casu vtramque speciem iterum consecrare, quia per hoc etiam non redintegraret prius sacrificium; sed nouum omnino distinctum offerret, ad hoc autem non tenetur, imo nec potest illud offerre: quia ut supponimus, iam non est ieiunus, cum calicem aquæ sumpserit. Quod vero Paludanus supra dicit, etiam durante eodem Missæ Officio; si Sacerdos non percipiat defectum, donec æquam calicis sumpserit, nihil debere repetere, quia iam (inquit) functus est officio suo, & quia non est ieiunus: hoc omnino falsum est, debet enim supplere defectum sanguinis, ut diximus: & donec hoc adimpleat, non est functus, prout debet, officio suo, quod vero non sit ieiunus, nihil obstat, ut hic D. Thomas expresse dixit, quia præceptum diuinum de integritate sacrificij magis obligat, quam præceptum Ecclesiasticum ieiune communicandi, & in hoc conueniunt omnes Doctores; addit vero Nauar. cum alijs, ob ignobilitiam, vel facilius ob inconsiderationem & perturbationem, posse Sacerdotem excusari, non perficiendo sacrificium: & suppiendo defectum in eo casu, quod est in præxi notandum, quia sæpè talis perturbatio accidit, etiam viris doctis. Addunt denique Angel. & Syluest. & D. Angel. rect. si Sacerdos, dum in ore habet potum, prius, quam deglutiat, sentiat esse aquam, & non vinum, non debet consumere, sed in calicem mittere: & vinum aliud consecrare & sumere, & postea priorem potum consumere. Sed hoc moraliter est difficillimum, & ideo sine scrupulo potest Sacerdos semper deglutire potum calicis, & deinde seruare, quæ dicta sunt. Ad secundam confirmationem respondetur, illa, quæ in Missali proponuntur sub titulo De defectibus, solum esse instructiones quasdam doctrinales, non vero speciales constitutiones, inducentes nouam obligationem, sunt autem illæ instructiones datæ iuxta probabilem doctrinam, non tamen magis obligant, quam res ipsæ vel doctrina, in qua fundantur.

Atque ex his constat, idem esse dicendum, seruata proportione, si similis defectus circa hostiam contingat, quamquam in hoc nonnulla maior difficultas esse videatur: quia, in eo casu sola hostia iterum consecratur, nimirum, quia prior inuenta est hordeacea, vel cum alio simili defectu, sequitur immutari ordinem in consecratione harum specierum; scilicet, quia prius consecraretur sanguis, & postea corpus: hoc autem videtur esse magnum incommodum, iuxta superius dicta. Propter quam causam in eo casu censeo valde probabilem opinionem D. Thomæ, quam etiam sequitur Missale Pij Quinti, & expresse Palud. supra, Scotus vero, qui tenet oppositam sententiam, quando defectus contingit in vino, nihil in particulari dicit de specie panis: neque attingit difficultatem hanc de mutatione ordinis, in consecratione vtriusque speciei: & eodem modo loquitur Nauar. Angel. Angel. defectus contingit in hostia, & deprehenditur post consecrationem vini, ante vtriusque summptionem, non esse iterandam consecrationem sanguinis, sed solius corporis: quod etiam affirmat Paludanus saltem, quando non potest commode aliud vinum adhiberi, ut consecratur: vnde sentit, illum ordinem inter consecrandam vtramque materiam, non esse admodum necessarium: quod si hoc verum est, idem erit consequenter dicendum, etiam si defectus percipiatur post summptionem: est ergo hæc opinio probabilis; quamuis in hoc casu libentius vterer re-

V u u u medio

*Aut horis
fontentia.*
medio consecrandi iterum utramque speciem, si com-
mode possem: quia ille ordo consecrationis utri-
usque speciei semper mihi videtur magni momenti:
& aliunde non potest, quod ad scandalum pertinet,
vel ad tantam notitiam, magis uno modo vitari,
quam alio.

Secundo etiam constat ex his, quid faciendum sit,
si contingat similis defectus in forma: nam, si omis-
sum est aliquod verbum essentiale, vel talis facta mu-
tatio, quæ necessarium formæ sensum abstulerit, ite-
randa est consecratio, vel in utraque forma, si in amba-
bus talis defectus acciderit: vel solum in vna, si in ea
tantum inuentus fuerit defectus. Ratio est eadem,

*Quædam do-
cumenta tra-
huntur.*

quia hoc, & necessarium est, & sufficit ad sacrificium
integre perficiendum. Vnde, etiam si contingat, hu-
iusmodi defectum cognosci post summptionem corp-
poris, vel speciei non rite consecratæ, iteranda erit talis
consecratio, propter tandem causam; & in eo ca-
su, non oportebit, utramque consecrationem repete-
re, si in altera tantum defectus accidit, ut in simili di-
ctum est de materia: est enim eadem proportio. Ad-
do, etiam si contingat, antea fuisse defectum præui-
sum, & ex malitia ministri non fuisse emendatum,
vel, etiam si à principio, ex sola malitia fuerit talis
defectus commissus; vel omittendo verba, vel, non
habendo debitam intentionem (de hoc enim defe-
ctu idem est proportionale iudicium, eademque ratio)
nihilominus in his casibus debere Sacerdotem
etiam post summptionem, supplere defectum: quia licet
malitia sua in eam necessitatem incidit, tamen
postquam in eum statum res adducta est, non est cu-
randum, cur sacrificium imperfecte actum sit, sed
quod mutilum sit; & ideo omnino est perficiendum,
non obstante priori culpa: poteritque Sacerdos sine
nova culpa id facere, si prioris culpæ ipsum poeniteat,
& cum debita reuerentia id faciat. Hoc autem intel-
ligendum existimo, quando defectus accidit in con-
secratione vnius tantum speciei, & altera rite fuit cō-
secrata: nam, si defectus in utriusque consecratione
accidisset, & panis, aut vinum summptum iam esset,
non deberet in alia materia consecratio suppleri: quia
tunc reuera non fuit factum, nec perfectum, nec im-
perfectum sacrificium, sed totum fuit fictum: & ideo
tunc non obligat præceptum de integrando seu
perficiendo sacrificio: & aliqui obligat præceptum
non conficiendi vel sumendi hoc sacramentum post
cibum & potum: ergo tunc hoc præceptum seruand-
um est, & ideo aliter iudicandum est de tempore
ante summptionem, quando nondum fractum est iei-
unium: nam tunc, si fortasse ex defectu intentionis
vel formæ neutram speciem consecrauit, tenebitur
secrete iterare & consecrare, antequam sumat, &
quam primum possit, non ex vi præcepti; perficiendi
sacrificium substantialiter inchoatum, quia hoc
reuera nondum obligat: sed ex vi præcepti, non fingendi
aliquid falsum in hoc ministerio: & conse-
quenter non perseuerandi in inchoata fictione: nec
sumendi potum & cibum per modum sacramenti,
quod verum sacramentum non est, nec dandi alijs
occasione adorandi merum panem & vinum. Sed
quæres; quid agendum sit, quando Sacerdos non iudicat
quidem positive, se aliquid de forma omisisse,
tamen non recordatur dixisse, & consequenter dubitat
negatiue, an dixerit? Respondetur, quod non
recordatur dixisse, nil referre, nec propter eam solam
causam quicquam reperendum esse (quod, non
solum in hoc negotio, sed in quacunque recitatione of-
ficij Ecclesiastici, obseruandum est) quia præterita ac-
tio facillime & memoria labitur, quando cum ipsa
actione non coniungitur actualis reflexio, & confi-
deratio illius: nam ex hac actuali consideratione nascitur
memoria. Si autem cum illa obliuione coniunguntur
aliqua iudicia, & rationes probabiles dubitandi, an aliquid
substantiale omiserit, tunc pro ratione dubitationis
agere debet: quamquam D. Thom. hic

*Quæstio ja-
visit.*

D. Thom.

ad s. solum dicit, si certificetur, aliquid substantiale
in forma omisisse, tunc esse iterandam formam: hoc
enim est moraliter verum; nam qui bonafide & me-
diocri diligentia hoc mysterium facit, etiam si non
recordetur, omnia dixisse, non potest habere probabilem
rationem dubitandi, quod ea dixerit, niliter-
iam habeat motium aliquod sufficiens ad probabili-
ter iudicandum, se aliquid omisisse. Si tamen reuera
accideret dubium ex utraque parte sufficiens, tunc
iteranda esset forma, saltem sub conditione, mente
concepta: quia hoc modo, & tollitur dubium, & per-
iculum iterandi consecrationem super materiam
consecratam.

Sed quæres tandem circa hoc: quænam verba sint
in huiusmodi casibus repetenda. Auctores enim va-
rie loquuntur. Angelus sentit, primam oblationem
& orationes sequentes esse repetendas, quando desi-
rit debita materia. Palud. à principio canonis vultre. Palud.
petitionem fieri: Scorius, si consecratio panis iteranda
sit, repetendum esse ab illis verbis, Qui pridie, quam
pateretur: si vero sola consecratio calicis ab illis, simili
modo, postquam conatum est; ipse enim putat, hæc
omnia verba esse necessaria, ut consecratio fiat: & hinc
modus repetitionis ponitur etiam in Missali: & sic
mode fieri potest, est aptior, propter expressionem
Christi commemorationem, & repræsentationem,
tamen simpliciter non est necessarius: quia sola verba
formæ sufficunt ad conficiendum sacramentum,
& ita illa sola satis erit repetere, dummodo in forma
sanguinis comprehendantur omnia verba, quæ com-
muniter proferuntur & proponuntur per modum
formæ. Vnde in Missali Romano, in defectibus for-
mæ dicitur, si aliquid in forma fuerit omissum, quod
fit de necessitate sacramenti, formam esse iterandam:
si autem, quod omissum est, non fit de necessitate sa-
cramenti, non oportere illud resumere: ergo quan-
tus omissa sint essentialia: & aliqua accidentalia, suf-
ficiet essentialia repetere: & multo magis, si acciden-
talia prolata sint sine essentialibus, vel sine efficacia
eorum ex defectu materię, vel intentionis, sufficiet es-
sentialia verba repetere.

Secunda regula sit: Si post consecrationem rite fa-
ctam acciderit vel inueniatur defectus, summptionem
impediens, curandum est, ut tollatur, & sacramentum
consumatur, quod si id fieri non possit, necessarium
regulariter erit, consecrationem repetere & supple-
re, quod defuerat. Hæc regula declarabitur melius
nonnullis exemplis in particulari adductis, & pri-
mum suppono, per se loquendo, teneri Sacerdotem
ad consumendam utramque speciem sacramenti. Nam
vel id est de substantia sacrificij, vel ita pertinet ad
perfectionem eius, ut de iure diuino præceptum sit,
sicut est supra ostensum. Vnde sequitur, si Sacerdos
præuideat, esse in materia aliquid, quod impedit
summptionem; vel ob aliquam causam fore impediten-
dam, non debere, neque licere illi sacrificium incho-
are aut sacramentum conficere: quia exponit se peri-
culo morali non perficiendi sacrificium iuxta ritum,
& modum à Christo institutum. Potest autem varijs
modis fieri, ut post consecrationem talis impedimentum
accidat, vel agnoscat. Primo, si verbi gratia,
materiæ panis aut vini venenum admixtum sit, &
tunc non sunt sumendæ species consecratæ ex omni
sententia: quia sacramentum vite non est cum peri-
culo mortis sumendum. Sed tunc est dubium, quid
sit agendum; tam circa illas species consecratas, quam
circa sacrificium. De priori parte dicendum est; illas
species esse seruandas, donec corrumpantur, vel ex-
siccantur, & postea in sacram piscinam projiciendæ
sunt: iam enim Christus ibi non adest, & illa, vel phy-
sice, vel saltem moraliter, omnino immutata sunt.
Additur vero in Missali Romano, si fuerint species
vini, in panno lineo vel stupa esse imbibendas, & con-
buratur: & ita sunt corrigendi vel interpretandi,
Palud.

Palud.
Syluq.

Palud. dist. 9. quæst. 1. in fin. & Syluest. Eucharist. 2. quæst. 9. §. 3. & alij Summistæ, dicit dicunt, esse sacrilegium, huiusmodi species comburere: hoc enim est verum, quamdiu sub illis intelligitur perseverare Christus: de quo legi etiam potest Aristodorus. libr. 4. Sum. tract. 5. c. 3. & Soto hic. De posteriori parte, quidam dicunt in huiusmodi casu, etiam si solus sanguis verbi gratia consumi non possit, utramque speciem esse iterum consecrandam & sumendam. Ita Palud. d. 11. q. 1. art. 1. concl. 5. & Syluest. Euchar. 2. q. 9. idem affirmat, quando defectus deprehenditur post consumptam hostiam: & idem dicit Victor. in Sum. dub. 101. de Eucharist. putant enim eandem esse rationem de hoc casu, & de illo, in quo inuenitur in calice materia inepta ad consecrationem. Sed reuera non est eadem ratio. Vnde etiam, si in illo casu oporteret, utramque speciem consecrare, hic non esset necessarium: quia verus Christi sanguis fuit in calice, toto tempore sacrificij post consecrationem: vnde rite, & conuenienti ordine peracta sunt omnia, quæ post consecrationem super oblata dicuntur: solumque superest supplendum, quod ad integram sumptionem est necessarium: solum autem deest illa species, quæ sumi non potest: satis ergo erit, illam consecrare, siue altera sumpta sit, quando sentitur defectus, siue non: & ita sentit aperte D. Thomas hic ad 3. & Soto, distinction. 13. quæst. 1. artic. 4. ad 3. & quæst. 2. art. 6. ad 3.

D. Thom.
Soto.

Secunde.

Secundo potest accidere, vt post consecrationem animal aliquod in sanguinem cadat: & tunc, si Sacerdos potest sine graui detrimento, & sine periculo vomitus totum sumere, id erit optimum consilium: imo ita est omnino faciendum, propter reuerentiam sacramenti, & perfectionem sacrificij, si absq; magna difficultate fieri potest. Si vero sine incommodo hoc fieri non potest, primum extrahatur animal, & fiat, quod D. Thomas docet in art. ad 3. Deinde, si animal fuerit venenosum, & consequenter timeatur, venenum manere calici immistum, fiat, quod in præcedente casu dictum est. Si vero in calice nullum relinquatur venenum, sumendus est, nisi Sacerdos horrorem sentiat, & timeat periculum vomitus: tunc enim non debet sumi propter reuerentiam sacramenti: tunc autem, vel sumendus erit sanguis ab alio Sacerdote iuxta dicenda statim regula sequente: vel consecrandus erit alius sanguis, & ab eodem Sacerdote sumendus, ne sacrificium imperfectum maneat: alius vero calix conferuandus erit, donec, vel ab alio Sacerdote, qui vomitum non timeat, consumi possit, vel certe naturaliter corruptantur, iuxta dicta in puncto præcedente.

Tertio.

Tertio accidere potest, vt post consecrationem calix congeletur, & tunc facile est remedium, debet enim extrinsecus calor adhiberi, prout commode fieri possit, donec liquefiat, ita sumi possit. Quod si fingatur casus, in quo tale remedium adhiberi non possit, certe in eo casu, neq; inuenitur vinum non congelatum: quod consecrari & sumi possit: maxime, quia saltem poterit digitis comminui, & in particulas redigi, vt sumi possit.

Quarto.

Quarto accidere potest, vt post consecrationem hostium incurfus timeatur, priusquam consumi possit sacramentum; etenim si ante consecrationem tale periculum timeatur, certum est non esse consecrationem faciendam, etiam si Missa sit in choata; tum propter reuerentiam sacramenti & sacrificij; tum propter periculum mortis vitandum. At vero, si iam sit facta consecratio, nulla ratione debet Sacerdos propter periculum mortis fugere, sacrificio imperfecto, & sacramento in manibus hostium relicto, maxime, si infideles sint, & irreuerentia sacramenti timeatur, potest tamen, si necessarium fuerit, accelerare sumptionem sacramenti, prætermittens intermedij, nam, cum hæc sint tantum de iure Ecclesiastico, & sine irreuerentia & mutilatione sacrificij omitti possint, nõ

Franc. Suarez. Tom. 3.

obligant cum tanto rigore; quod intelligitur, per se loquendo, id est, secluso scandalo, vel alia iniuria aut infamia Christianæ religionis, iuxta generalia principia materiæ de Legibus.

Quinto potest accidere, vt hostia consecrata disparet miraculose, aut certe, quod in ea appareat caro aut sanguis, ita vt sumi non possit, iuxta supra tractata, q. 76. art. 8. & quæ D. Thom. docet, q. 82. a. 4. ad 3. & idem accidere potest in specie sanguinis. Et in hoc casu in Missali Romano simpliciter dicitur, quando miraculose hostia disparet; iterum esse consecrandam. Vnde videtur, idem esse dicendum, quotiescunq; propter apparens in ea miraculum, sumi non potest: est enim eadem omnino ratio. At vero Diuus Thom. citato loco solus dicit. Consulendum esset Sacerdoti in eo casu, quod iterato corpus & sanguinem Domini consecraret, & sumeret. Sed in primis, quod D. Thomas utramque speciem copulatiue coniungit, intelligendum est, vel quando in utraque specie tale miraculum accidit, vel distributione accommodata, sc. vt hostia iterum consecratur & sumatur, quando in illa acciderit miraculum: & sanguis similiter, quando in illo euenit. Deinde dicens D. Thomas, hoc esse consulendum, sentit, non esse præceptum, vt dicto loco notauit. Vnde videtur aliter sentire de hoc casu, qui supernaturaliter accidit, quam de alijs, qui humano modo contingunt: quia ea, quæ miraculose fiunt legibus non subduntur; at vero regula Missalis eodem modo loquitur de casu miraculoso, vel naturali. Nec

Quinto.

D Thom.

Adrian-
dum.

deest probabilis ratio: quia, licet per miraculum tollatur obligatio circa id, quod, illo supposito, commode fieri non potest: quale esset, sumere hostiam in specie carnis apparentem; tamen non tollit obligationem faciendi id, quod commode fieri potest ad implendum præceptum, non obstante miraculo. Potest autem commode & facile alia hostia consecrari & sumi, ad perficiendum sacrificium: cur ergo tolleretur hæc obligatio propter miraculum? Vel certe, si non est præceptum perficiendi sacramentum hoc modo in hoc casu, neque etiam erit in alijs euentibus contingentibus: sed generaliter dicemus, præceptum solum obligare ad consumendum sacramentum in ipsa sacrificiatione consecratum: quod si id, quocunq; casu fieri non possit, cessat obligatio; quia lex non obligat ad impossibile: quod autem noua consecratio & consumptio faciendi sit, non videtur intrinsece ex prædicta lege inferri, sed, ad summum, erit consilium, & ita posset secundus casus supra numeratus explicari, seu limitari iuxta præcedentem doctrinam D. Thomæ de casu præsentem, qui discursus non videtur sane omnino improbabilis. Sed quia D. Thomas, diuerso modo in vno & in alio casu loquitur, & quia auctores communiter significant, in secundo casu supra posito, & in alio, quem statim tractabimus, esse præceptum iterandi consecrationem, & perficiendi sumptionem: ideo in illis casibus, hoc est, tanquam securius, sequendum: in casu autem miraculoso, vel potest probabiliter idem consequenter dici: vel propter auctoritatem Diui Thom. responderi, Deum, miraculose transmutando sacramentum, tacite acceptare illam, vt sufficientem consumptionem sacramenti, & auferre obligationem iterum consecrandi, vel potius casum illum: cum sit extra ordinem naturæ, nullo modo esse sub lege comprehensum.

D. Thom.

Sexto.

Sexto euenire potest, vt sanguis omnino effundatur, & ideo à Sacerdote sumi non possit: idemq; erit, si hostia à vento valido rapiatur, ita vt omnino disparet: aut si à mure comedatur. In quo casu duo videnda sunt: primum, quid remediij adhibendum sit sacrificio: secundum, quid sit agendum circa sacramentum: circa primum, res est facilis ex dictis, nam, post effusionem aliquid mansit in calice, quod sumi possit, etiam si sit minima quædam pars specierum sacramentalium, illud sufficere ad perfectionem

Vuuu 2 sacrifici-

*Sub quali-
bet minima
parte specie-
rum est totus
Christus.*

facrificij, neq; oportebit aliquid iterari: quia sub qua-
libet minima parte specierum est totus Christus, & i-
dem est in illo casu, quo hostia consecrata à mure cor-
roditur: nam, si aliquid eius tolli posset, & consumi à
Sacerdote, id etiam sufficeret, quia iam vere comedit
totum corpus, & bibit totum sanguinem Christi: si
vero totum sacramentum effundatur, seu dispareat,
iteranda est consecratio circa talem speciem, iuxta di-
cta in secundo & quinto casu. Circa secundum, quan-
do hostia omnino rapitur, & disparet, nullum reme-
dium adhiberi potest, cum iam non subiaceat sensibus,
vel facultati humanae: quando vero ab animali
rapitur, si pars sacramenti haberi potest, consumenda
est, iuxta modum positum in secundo casu: de ipso vero
animali additur in Missali, quod, si haberi potest,
interficiatur & comburatur, & cineres eius in pisci-
nam sacramentum projiciantur: quidam vero Summistæ
cum Paludan. dist. 6. quaest. 1. in fine, addunt, prius esse
aperiendum animal, & sacramentum extrahendum.
Sed hoc non sine causa prætermisum est in Missali:
quianec, moraliter loquendo, fieri potest; quia, cum
dentibus prius conteratur, & alijs humoribus misceatur,
quomodo poterit discerni aut extrahi? Nec videtur
pertinere ad decentiam sacramenti, sed maiorem
quandam indecentiam præ se ferre videtur. Quando
vero sanguis effunditur, quid agendum sit, statutum
est à Pio Papa in cap. Si per negligentiam, de Consecrat.
dist. 2. & explicatur à D. Thoma hic in solut. ad 7.
Aut ergo effusio est vsque ad terram, aut tantum super
altare. Rursus, quando cadit in terram, vel super ta-
bulam, vel immediate in terram ipsam: quando super
tabulam, ait Pontifex, lingua lambetur, & tabula ra-
detur. Idem autem intelligendum censeo, si cadat su-
per tapetum, vel quamlibet aliam rem similem, qua
terra cooperiatur: nam est omnium eadem ratio. Imo
additur in Missali Romano, tunc partē tapetis, in qua
ceciderit sanguis, abscondendam esse & comburendam,
& cineres in sacrarium immittendos: quando vero
immediate cadit in terram, non præcipitur lambi in
eo textu: & ideo non est necesse id fieri: solum ergo est
accurate obseruandū, ne locus ille conculetur prius,
quam bene corrādatur, vt in illo textu præcipitur. Ad-
ditur vero ibi, rasuras esse igne consumendas, & cine-
res intra altare recōdendos. In Missali vero Pij Quinti
dicitur, iuxta altare. Sed per hoc Doctores intelligunt,
sacram piscinam, seu locum in Ecclesia specialiter ad
hæc munera deputatum. Quando vero sanguis cadit
super altare, aut tantum attingit linteum altaris vni,
vel plura: & tunc (ait Pontifex) linteamina, quæ reti-
gerit stilla, tribus vicibus minister abluat, calice suppo-
sito, & aqua ablutionis sumatur, & iuxta altare recon-
datur. Vbi per ministrū intelligo, Sacerdotem ipsum:
quia nulli alteri licet, sanguinem Domini proxime at-
tingere. Quod autem dicitur, & sumat lotionē illam,
non intelligitur, quod bibat illam: non enim ad hoc
obligatur: quamuis, si id velit facere, recte faciet: sed
intelligitur, quod accipiat & reponat iuxta altare, seu
in piscina sacra, vt explicatum est. Et in Missali Romano
extenditur hoc ad vestes sacerdotales: & aliunde
limitatur ad corporale, seu (vt opinor) ad pallas bene-
dictas: de quibus eadem ratio est, quæ de vestibus sa-
cerdotalibus: nam de alijs linteaminibus additur,
post ablutionem, partem intinctam esse abscondendam,
& comburendam: & cineres in sacrario reponendos.
Aut denique stilla sanguinis penetrat vsque ad altare
ipsum, & tunc solum, ait Pontifex, sorbeat minister
stillam, id est, lambat, seu sumat & purificet, vt potuerit.
Hic autem nihil additur de radēdo altari: vnde in-
telligo, sermonem esse de ipsa ara, seu altari consecrato:
propter hanc enim causam non præcipitur radi: &
ita in Missali Romano vocatur, lapis altaris. Quocirca,
si extra altare consecratum cadat sanguis in reliquam
partem altaris, illam censeo radendam, sicut dictū est,
quando cadit in terram. Additur vero, vt locus bene

Pius Papa.

*Accurate
obseruandū.*

*Soli Sacer-
dot licet,
sanguinem
Domini pro-
xime attingere.*

ablutur, & ablutio in sacrarium projiciatur: notat
autem Palud. dist. 9. quaest. 1. in fine, & d. 11. q. 3. art. 1. Palud.
in fine, posse in eo casu lambi sanguinem, etiam à non
ieiuno, propter reuerentiam sacramenti, quando non
adest ieiunus, à quo lambi posuit: secus vero esset de
particula corporis: nam illa seruari potest in alium
diem. Atque hinc obiter coniat, quid agendum sit,
quando hostia consecrata cadit in terram, mappam,
aut linteum: est enim eadem diligentia & cautio, ser-
uata proportione, adhibenda, vt etiam in Missali Ro-
mano fere annotatur. Pœne autem, quæ in illo textu
ponuntur, & hic explicantur à Dno Thoma, iam non D. Thom.
sunt in vsu: & ita in Missali omittuntur: sunt ergo
imponendæ arbitrio superioris, consuleratis circum-
stantijs. Tamen, donec aliqua pœna imponatur, Sa-
cerdos nullam subire tenetur, nihil ad satisfaciendum
Deo, si quid in hoc peccauit. Cetera de hæc legi
possunt in Paludan. supra, Soto, dist. 13. q. 2. art. 6. ad Palud.
7. Syluester, verb. Eucharist. 2. quaest. verb. Confessio.
quaest. 2. verb. Pœnitentia, q. 6. Nauar. c. 25. nu. 89. Syluest.
Et, iuxta hæc, expediendi sunt alij casus, quos D. Thom.
Thom. & alij authores citatis locis attingunt, scilicet,
quid sit agendum, quando Eucharistia euomitur,
aut quando putrescit, vel ex ea vermes generantur, aut
quando à mure corroditur, &c. Regula enim gene-
ralis est, in his omnibus casibus, si species sacramen-
tales integræ, vel in aliqua particula haberi possint,
reuerenter seruandas esse, vel consumendas: quia
sub eis manet Christus: ea vero, quæ tales species
contigerunt, vel comburenda sunt, vel purificanda,
iuxta modum supra declaratum. Imponuntur
autem in iure aliquæ pœnæ ijs, ob quorum negligenti-
am huiusmodi casus, seu defectus accidunt, vt vi-
dere licet in capit. Si per ebrietatem, & cap. Quibene,
de Consecratione, distinctio. 2. & cap. 1. de Cur-
stodia Euchar. Sed, vt dixi, nulla pœna est, vel cen-
sura ipso iure lata, & iam prudenti arbitrio iudicis
committitur.

Tertia regula sit: Quando hic defectus substantia-
lis non potest ab eodem Sacerdote suppleri, id debet
fieri per alium. Ita habetur in c. Nihil. 8. q. 1. ex Con-
cil. Toler. V. II. cap. 1. & docet D. Thomas hic ad pri-
mum. Soto hic, Syluest. verb. Eucharist. 2. q. 8. verb. D. Thom.
Missal. 1. quaest. 2. Paludan. d. 8. q. 3. Nauar. cap. 24. nu. 100.
mero 87. & alij Summistæ. Et declaratur breuiter,
vt enim hæc necessitas contingat, imprimis necessa-
rium est, vt Sacerdos non solum inchoauerit Mis-
sam, sed etiam aliquam speciem consecrauerit: quia,
si ante consecrationem moriatur, verbi gratia: non
est necesse, vt Missa per alium Sacerdotem finiatur:
quia cum non sit sacrificium substantialiter inchoatum,
nullus ibi interuenit substantialis defectus sup-
plendus: nec manebit sacrificium imperfectum, et-
iam si non perficiatur: quia proprie & vere nonandum
erat inchoatum. Deinde necesse est, vt Sacerdos, qui
sacrificium inchoauit, non possit illud perficere, scilicet,
quia vel morte, vel ægritudine subita ita impedi-
ditur, vt progredi non possit: quia, si ipse per se illud
posset perficere, non potest illud inchoatum relin-
quere sine grandi sacrilegio, vt in citato textu dicitur,
& ex dictis satis constat. Quando vero hæc duo
concurrunt, vt sacrificium sit ab vno substantialiter
inchoatum, & ab illo perfici & consumi non possit,
defectus est per alium Sacerdotem supplendus. In quo
si alter vtramque speciem consecrauit, & vnam tantum
consumpsit, alter debet alteram sumere: si vero
prior neutram sumpsit, debet alius vtramq; sumere.
Si autem prior hostiam tantum consecrauit, dicitur
quidam, debere alium Sacerdotem vtramq; speciem
iterum consecrare, & postea simul consumere cum
alia hostia, per priorem Sacerdotem consecrata. Ita
sentit Innocentius, libr. 4. de Misterijs Missal. cap. 25. tamē
qui in hoc fundari videtur, quod dubium esse exi-
stimat, an consecratio vnius speciei, sine alia, facta
teneat.

reneat. Sed in hoc nulla est dubitandi ratio, vt supra visum est; & ideo non est dubium, quin in eo casu sufficiat, vt alius Sacerdos alteram tantum speciem consecret, & vtramq; sumat, quod aperte sentit D. Thom. in 4. dist. 8. quest. 2. artic. 4. quamuis ibidem, vt probabilem relinquat opinionem Innocentij. Soto vero, in 4. distinct. 23. quest. 1. artic. 1. licet vtroque modo fieri possit, addit tamen consultus esse, non consecrare iterum hostiam; quo ego verum existimo.

Regula igitur generalis sit, vt aliter incipiat, vbi alius desijt, si id sciri possit, si vero id nesciatur, ait Diuus Thomas supra, debere à capite incipere, & idem dicit Paludan. supra, concl. 2. Syluester autem late id declarat, supponit tamen, hoc supplementum fieri posse ante & post consecrationem inchoatam; quod tamen, vt dixi, non est necessarium. Neq; existimò; iuxta mentem D. Thom. debere vnquam fieri; proprio loquendo, & per modum supplementi. Itaq; si certum sit, priorem Sacerdotem defecisse, ante perfectam consecrationem panis, etiam si verba formæ incepisset proferre, dummodo non absoluerit, non est, quod ministerium illud per alium Sacerdotem suppleatur, vt dixi: vnde, si alius velit, illud sacrificium perficere, debet à principio inchoare, & Missam integram dicere: quia, cum nulla sit necessitas componendi seu integrandi ministerium illud ex duabus personis, melius est, vt ipse totum officium Missæ complete perficiat, neq; oportet (vt quidam putant) vt aliam hostiam, vel vinum offerat: nam, cum priora non fuerint consecrata, possunt iterum offerri & consecrari: hoc ergo videtur melius, magisq; rationi consentaneum, quamuis fortasse, etiam posset sine peccato secundus inchoare, vbi alius desijt, etiam ante consecrationem, si hoc ei constet: nam si id ignoret, tunc optime applicatur regula D. Thomæ, quod à capite incipiat.

Rursum, si certum sit, priorem Sacerdotem consecrasset hostiam, & calicem: non autem constet, quid dixerit aut fecerit eorum, quæ post consecrationem sequuntur, à capite incipere debet secundus Sacerdos, id est, dicere omnia, quæ post consecrationem dicuntur, scilicet ab illa ratione, (Vnde, & memores Domine) & eadem proportione, si constet, priorem consecrasset hostiam, & non calicem; Sacerdos secundus incipere debet ab illis verbis, Simili modo postea; & c. & quamuis constet, priorem aliqua eorum dixisse, dummodo non soluerit totam formam sanguinis, debet secundus Sacerdos, vt minimum, dicere omnia verba formæ, & melius faciet, inchoando ab illis. Simili modo, posteaquam canatum est, quia in hoc nihil est periculi, vel incommodi, & alioqui Christi representatio & commemoratio expressius fit.

Sed deniq; non constet, an prior Sacerdos consecrationem hostiæ absoluerit, & res dubia sit, debet posterior incipere à capite canonis, vt certum sacrificium, & integrum conueniente modo possit efficere: quia vero dubium esse supponitur, an talis hostia sit consecrata, vel sub conditione, saltem mente concepta, eam iterum consecret, vel (quod melius erit) adhibeat aliam hostiam, & post consumptum sacrificium, priorem etiam sumat. Sed quid, si non adest Sacerdos ieiunus, vel, si fit in peccato? Respondetur, etiam si non sit ieiunus, posset sacrificium absolvere: quia necessitas perficiendi sacrificium, maior est, quàm ieiune communicandi, vt supra in simili dicebamus, & sic Soto affirmat. Quod vero ad statum peccati attinet, facile respondetur, posse bene disponi, saltem per contritionem, si non sit illi copia confessoris. Sed quæres rursum, an teneatur Sacerdos ad perficiendum hoc modo sacrificium, quod alter inchoatum reliquit? Soto enim dubius esse videtur, & tandem sentit, non teneri, nisi ex accidente ob scandalum. Nam in predicto Concilio, & c. solum dicitur. Censuimus conuenire, vt in eo casu sit liberum alteri Episcopo, Franc. Suarez Tom. 2.

vel Presbytero, consecrationem exequi officij cepti. Nauar. dictio n. 89. sentit teneri, & hoc videtur magis consentaneum rationi: quia ad munus Sacerdotis pertinet, vt sacrificium non maneat imperfectum, quantum in ipso est, ad hoc suum officium exhibere, etiam propter reuerentiam tanti sacramenti: hec vox illa, liberum fit, in predicto textu sumitur in sensu contrario, sed idem significat, quod hoc esse in facultate & potestate Sacerdotis, qui potest cum alio veluti vnus minister reputari. Atq; hinc tandem infertur hoc ministerium non posse per alium quam per Sacerdotem, suppleri: quia nullus alius potest esse huius sacrificij minister. Quapropter, si Sacerdos non adfit, non oportebit, sacramentum ab alio consumi, sed reuerenter seruandum erit: vel, si adfit, qui illud reuerenter sumere possit id fieri licebit, non ad complendum sacrificium, sed ad reuerenter tractandum sacramentum. An vero in eo casu possit laicus sumere sanguinem, si timeatur, non posse reuerenter, aut sine corruptione conseruari, dixi supra, tractando de communione sub vtraq; specie.

SECTIO II.

Quomodo accidentales defectus huius sacrificij cauendi sint, vel supplendi.

H defectus possunt considerari, vel in materia *Defectus hu* aut forma consecrationis: vel in sumptione ipsa, *aut sacrificij,* vel in alijs accidentalibus ceremonijs, aut in verbis, *in quibus re* seu speciebus, quæ in Missa dicuntur. De quibus *bu. reperi-* omnibus duo in genere dicere possumus, quæ in superioribus tacta sunt. Primum est: debere Sacerdotem, moralem diligentiam adhibere, vt omnes huiusmodi defectus caueat, atq; præueniat. Hoc constat, quia tenetur perfecte ac integrè exequi hoc ministerium: ergo & cauere defectus omnes: hæc enim duo necessariò se consequuntur, vel sunt potius moraliter idem. Vnde fit, in tantum teneri, præcauere huiusmodi defectus, in quantum moraliter potest. Nam, si interdum fortasse non possit defectum evitare, nisi omittendo totum Missæ officium, tunc non possumus generalem regulam tradere, quod teneatur potius Missam omittere, quam cum tali defectu eam dicere: quamuis enim hoc verum sit, quando defectus est in re vel ceremonia, aut circumstantia graui, tamen, si defectus sit in re leui, aut non omnino necessaria & vitari non possit, permitti interdum potest, ne sacrum omitatur: & tunc ille non est censendus moralis defectus; cum non sit voluntarius, sed erit quasi naturalis: horum autem omnium exempla in superioribus tacta sunt, & aliqua statim insinuabimus.

Secundo in genere dici potest, defectus accidentales, postquam iam commissi sunt, regulariter loquendo, non esse supplendos, iterando aliquid, vel præpostero ordine dicendo, aut faciendo, quod prius efficiendum erat: hoc insinuatur sæpe in regulis Missalis, & sumi etiam potest ex dictis, tam sectione præcedentem quam in seet. vlt. disputationis præcedentis. Ratio vero in genere est, quia, cum hæc non sint de substantia sacrificij, non oportet illa alterare propter sacrificij perfectionem: & alioqui, quando non dicuntur suo loco ac tempore, & debito ordine, non conferunt ad decorem, & splendorem huius officij, vel ad significationem, propter quam sunt instituta. Ac deniq; magis perturbat illa repetitio, quam ad reuerentiam sacrificij iuuat, & interdum etiam potest scandalum generare. Dixi autem (regulariter) quia, si in aliquo casu aliud esset statutum, illud esset seruandum. Item, si aliquando tam parua esset mora, vt sine incommodo posset fieri repetitio, tunc suppleri posset defectus. Quæ omnia intelliguntur melius, applicando illa breuiter in particulari ad capita supra numerata.

Primo igitur in materia defectus accidentalis erit, & valde grauis, si panis sit fermentatus: vel, si vino non miscetur aqua & hic omnino praecauendus est ante consecrationem: post consecrationem vero suppleri nullo modo potest, vt supra dictum est, solum ergo potest per penitentiam emundari. Leuior autem defectus erit, si hostia non sit omnino integra, aut, si maculam aliquam habeat: aut, si vinum sit aliquantulum acidum: ita tamen, vt certum sit, esse verum vinum. Et in his casibus, si a principio Missae prauideatur defectus, & vitari non possit, quia non potest haberi alia materia: tolerari saepe potest, si non sit tanta deformitas, vt scandalum generet; vel irreuerentiam praeseferat. Et eadem ratione, si talis defectus prauideatur post factam primam oblationem dissimulandus est, & vsq; ad finem Missae progrediendum, secluso scandalo: ante oblationem vero, vel etiam post illam, si scandalum vel irreuerentiam intercedat, mutari debet hostia vel vinum: si vero iam consecratio est facta cum illo defectu; nihil est, quod suppleatur, sed solum est prudenter curandum, vt defectus tegatur, vt sine scandalo res fiat.

Regula quaedam obseruanda circa leuiiores defectus.

Palud. Syluest.

Secundo, in sumptione non potest esse proprie defectus in substantia eius, nisi forte quis vocet sumptionem defectuosam, quando non tota hostia consecrata, vel totus sanguis consumitur. Sed in hoc proprie & formaliter non est defectus: quia in quacunque parte specierum totus Christus sumitur. Item, ex causa rationabili potest Sacerdos, si distinctam formulam non posuit ad communicandum alium, referuare particulam hostiae ad communicandum illum, vt notat Paludanus in 4. distinctione 12. quaestio. 1. art. 5. conclus. 2. Syluest. Eucharist. 2. quaest. 10. §. 6. & Eucharist. 3. quaest. 15. quia non tenetur Sacerdos consumere totam quantitatem specierum, quam consecrat, vt patet, quando offert, & consecrat duas hostias. Imo, vt notat Paludanus, cum olim seruabatur tertia pars hostiae, vsque ad finem Missae, videbatur referuari ad communicandum alios, capit. Triforme, de Consecratione, distinctione 2. Solum ergo potest in sumptione esse defectus, vel in caeremonijs, aut verbis, quae in illa fieri solent: de quibus eadem est ratio, quae de caeteris caeremonijs, neque aliquid occurrit specialiter dicendum: vel potest hic defectus contingere in dispositione fumentis: quia scilicet, recordatur, se non esse ieiunium, aut esse excommunicatum, vel in aliquo peccato, quod non est confessus, quem casum attingit D. Thomas, hic ad secundum, & de illo multa in superioribus diximus: summa omnium est, in eo casu, si consecratio iam sit facta, tolerandum esse defectum, & per penitentiam supplendum, quantum secundum praesentem statum commode fieri possit: imo probabile est, idem etiam fieri posse ante consecrationem, si iam Missa sit inchoata: quamuis tunc etiam possit, propter vitandum talem defectum, Missa omitti, vt D. Thom. dicit. In eo vero casu, in quo peccati confessio fuit omissa, tenebitur Sacerdos, quam primum possit, confiteri: quia ita est ab Ecclesia specialiter statutum, vt supra visum est.

Tertio in accidentalibus caeremonijs, atque etiam in verbis, potest aliquando omitti propter obliuionem, de quo iam supra diximus, quo modo non oportet, illud repetere aut iterare, quando iam commissio defectus, & interpositis alijs actionibus aut verbis, recordatur Sacerdos defectus commissi. Quod vero attinet ad praecauendos huiusmodi defectus, moratiter loquedo, semper id fieri potest, nisi in aduertentia aut aliquid simile intercedat. Specialiter tamen tangit D. Thom. hic ad 6. casum, in quo contingit, hostiam elabi de manibus Sacerdotis intra calicem, ita vt ob eam causam frangi non possit: & recte respondet, illum esse accidentalem defectum: & ideo, licet praetermittatur, nihil propterea esse iterandum,

sed sacrificium esse consummandum, idem ergo est in similibus obseruandum.

DISPUTATIO LXXXVI.

De iusto Missae stipendio, & pro quo sit Missa ex obligatione dicenda.



Aec sola superest disputatio, pertinet ad obligationes sacerdotum in hoc ministerio sacrificandi: haec tunc enim diximus, tam de obligatione sacrificandi, quoad exercitium actus (vt sic dicitur) quam de ijs, quae seruare debent in modo sacrificandi: restat ergo dicendum, pro quo aut quibus sacrificare teneantur; & quia haec obligatio frequenter oritur ex stipendio accepto simul etiam declarabimus, quae sint iusta Missarum stipendia. Non oportet autem inquirere, quid sit offerendum in hoc sacrificio, vel cui sit offerendum: nam haec partim ex ipsa institutione, partim iure ipso naturali definita sunt, & de eis in superioribus est dictum. At veris pro quo sacrificium est offerendum, neq; ex institutione, neq; ex natura rei est in particulari definitum; sed voluntari & iudicio Sacerdotis commissum hoc est, vt supra vidimus. Potest autem Sacerdos varijs modis obligari ad sacrificium pro aliquo offerendum, sc. ex obedientia, charitate, ex voto, aut promissione simplici, aut ex iustitia & pacto. De prioribus autem obligationibus nihil occurrit hoc loco specialiter dicendum: quia nihil habent magis speciale in hac materia, quam in alijs. Itaq; certum est, posse superiorem, qui iurisdictionem habet, praecipere subdito Sacerdoti, vt Missam pro aliquo offerat: tunc ergo, si praecipitur ex iusta causa sit, vt supponimus, obligabitur subditus, saltem ex obedientia, ad ita offerendum. At vero ex charitate rarissime occurrit haec obligatio; quia non est de re simpliciter necessaria ad salutem proximi: nam licet interdum charitas obligare possit ad orandum pro alijs, praesertim pro communi bono; tamen, quod hoc fiat, etiam adiungendo sacrificium orationi, & pro hac speciali intentione illud offerendo, vix potest casus excogitari, in quo sola charitas ad hoc obliget: quatinus interdum maxime inclinet. Tanta vero posset interdum esse necessitas, vt aliqua ex illa oriatur obligatio. Regulariter autem solum obligat charitas, vt nemini excludamus a generali oblatione huius sacrificij, quae pro Ecclesia fit, nisi sit ab ipsa Ecclesia exclusus seu praecisus: quia & hoc esset signum quoddam odij, & praeterea est contra intentionem Ecclesiae, quae pro omnibus vult offerri illa generali oblatione. Deinde constat, etiam ex voto posse aliquem obligari ad Missam pro aliquo dicendam: nam, cum sit opus religionis & pietatis, potest esse materia voti, & cum res sit grauis, tale votum in rigore & sub culpa mortali obligabit. Eademque ratio est de promissione humana, seu homini facta: ita enim in hac materia obligationem adducit, sicut in alijs. Solum est pro communi vsu obseruandum, non semper fieri promissionem, quando vnus alteri dicit, se Missam pro illo esse oblaturum: nam saepe casum est simplex declaratio animi, & propositi, quod tunc habet, sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed omnino implendum: & tunc non manet rigorosa obligatio, sed solum ex quadam decencia, vt sine graui causa animus non mutetur. Caeteris ergo obligationibus omissis, solum illa, quae ad iustitiam pertinet, non nullam difficultatem habet.

SECTIO I.

Quando Sacerdos teneatur ex iustitia ad sacrificium pro aliquo offerendum.

DVobis modis potest huiusmodi obligatio oriri: Primo ex beneficio aliquo, ad hoc specialiter instituta.

namque ex
iustitia pro
alio duobus
modis oriri
potest.

instituto. Secundo ex peculiari stipendio propter
hanc causam dato: non enim potest alio modo intel-
ligi, quod oritur hac obligatio ex iustitia commu-
tativa, de qua nunc agimus: uterque autem ille modus
est in Ecclesia vitatus: nam constat, esse plures Capel-
lanias ad hoc specialiter institutas, ut Sacerdos certis
diebus Missas pro tali intentione faciat: sunt etiam in
Ecclesijs a universaria, &c. Ex quibus sine dubio ori-
tur obligatio ex iustitia: quia beneficiu datur ratione
officij, & stipendium propter actione. Similiter constat,
præter has generales & veluti stabiles institutiones,
esse in Ecclesia vitatum, ut sacerdotibus dentur
privata stipendia, ut semel aut pluries pro largientibus
vel eorum intentione, sacrificent: qui sacerdos
ob acceptum stipendium ex iustitia obligatur ad
id faciendum, ut omnes Doctores statim citandi do-
cent. Et constat primum ex intentione dantium, & reci-
pientium huiusmodi stipendium: nam, & qui dant,
intendunt obligare alios ad illud munus exequen-
dum, iuxta conditum modum: & similiter, qui reci-
piunt, acceptant hanc obligationem: interuenit ergo
ibi vera ratio iustitiae: fundata in mutuo consensu
vtrinque oneroso: qui explicatur illis verbis, Deo ut fa-
cias: hic autem est titulus iustitiae. Item, qui dat stipen-
dium, tenetur ex iustitia soluere illud, ut, si fortasse
prius promissit, & Sacerdos ea se Missam dixit, tenetur
qui promissit, ex iustitia soluere: ergo & e contrario,
si Sacerdos recipit stipendium, tenetur ex iustitia
factis facere ei, qui dedit illud, Missam dicendo, iuxta
intentionem illius.

De simplicibus
beneficijs
in illa gene-
rali.

Sed circa primum modum in particulari inquiri
potest, ex quibus beneficijs, seu Ecclesiasticis red-
ditibus, huiusmodi obligatio ex iustitia oriatur. In
qua re primum distinguamus beneficia simplicia à
curatis: & de simplicibus quidem regula generalis
est, attendendam esse eorum institutionem, & fi-
nem: nam, quae ex institutione sua hanc obligationem
imponunt, quia ad hunc finem sunt directe institu-
ta, huiusmodi inducunt obligationem propter
intentionem factam: & quia haec est voluntas eorum, qui
huiusmodi redditus Ecclesiae tribuunt, & sub hac con-
ditione onerosa, illos tribuunt: & huiusmodi sunt Capel-
laniae: & huc etiam reuocantur anni uersaria, & alia
huiusmodi. Reliqua vero beneficia simplicia, propter
alios fines instituta, quae huiusmodi onus ex vi
suae institutionis non imponunt expresse, nec de illo
sufficienter constat ex consuetudine, aut alia lege vel
statuto, non inducunt huiusmodi obligationem. Ratio
est clara, quia beneficium datur propter officium:
solum ergo obligat ad illud officium, propter quod
datur: sed haec beneficia non dantur propter hoc of-
ficium dicendi Missam pro hac vel illa intentione, sed
propter officium psallendi, aut alio modo Ecclesiae
inseruendi: ergo non obligant ad officium offeren-
di Missam pro hac vel illa particulari intentione: hu-
iusmodi autem sunt multae dignitates Ecclesiasticae,
Canonicatus, Portiones, Praefimonia, & alia similia
beneficia simplicia. Quin potius, quamuis cum officio
seu munere horum beneficiorum, interdum con-
iunctum sit onus cantandi, vel dicendi Missam in tali
Ecclesia, tamen per se, & ex vi eorum, non oritur ob-
ligatio applicandi illam Missam pro hac, vel illa inten-
tione, nisi aliunde ex peculiari consuetudine aut sta-
tuto talis Ecclesiae hoc constet: quia illa duo sunt valde
diuersa, & vnum per se ac directe non sequitur ex
alio, ut magis ex sequenti puncto constabit.

Regula qua
nam iusticia
est.

600.

De beneficijs igitur curatis solet specialiter dubi-
tari, an huiusmodi obligationem inducant. Quidam
enim asserunt, Parochos ratione beneficij teneri
quotidie ad offerendum sacrificium pro suis ouibus.
Ita tenet Soto, lib. 6. de iustitia, quaest. 3. artic. 1. & in 4.
distinguit. 13. quaest. 2. artic. 2. Ratio eius est, quia à suis
ouibus alitur. Confirmari potest, quia supra dictum
est, Parochum teneri quotidie ad sacrificandum in
sua Ecclesia per se, vel per alium: ergo etiam tenetur

pro suis ouibus offerre. Confirmatur secundo, quia
Parochus tenetur aliquando pro suis ouibus sacrifi-
care, sed non est maior ratio de vna parte sacrificio-
rum, quam de alia: ergo tenetur omnia sacrificia sua
pro Parochianis offerre. Haec vero sententia nullum
habet sufficiens fundamentum, & ideo verius est, non
habere Parochos huiusmodi obligationem, saltem
ad sacrificandum quotidie pro ouibus. Quod tenent
Maiores, in 4. distinctione, 45. quaestione 3. dub. 3. Na-
uar. capit. 25. num. 146. Corduba, libro 1. Quaestioni,
quaestione 4. & probatur, quia talis obligatio nullo
iure positio canetur: quia nec scriptum ostendi po-
test, nec consuetudine declaratum: nullibi enim talis
extat consuetudo. Et hoc ipsum satis ostendit, reue-
ra nullum esse tale praecipuum: quia non est verissimi-
le in vniuersa Ecclesia esse consuetudinem receptam
Ecclesiae praecipuum contrariam. Praeterea non potest
colligi hoc praecipuum ex institutione & fine talium
beneficiorum: instituta enim sunt ad officium pas-
cendi animas doctrina, & sacramentorum ministe-
rio: non vero ad sacrificandum pro illis, nam hoc
non est per se necessarium ad animarum regimen,
nec pertinet ad alimentu spirituale, quod Pastor suis
ouibus praebere debet: ergo talis obligatio non se-
quitur ex vi huius beneficij: nam, ut dixi, solum ob-
ligat ad officium, propter quod datur. Confirmatur
ac declaratur primo, nam Episcopus non tenetur quo-
tidie facere sacrum pro suo Episcopatu: nec Papa pro
vniuersa Ecclesia: sed habet alia pastoralia munera,
ratione quorum redditus Ecclesiasticos recipit: er-
go idem est de Parochis, seruata proportione. Secundo
confirmatur, nam Superior religionis, verbi gratia,
subdit in omnibus. munus Parochi respectu suorum
subditorum altiori & perfectiori modo, & tamen non
tenetur pro eis quotidie sacrificare: ergo. Argumen-
tum autem Soti solutum est ex dictis, quia licet Paro-
chi alantur à subditis, tamen habent aliud opus, pro-
pter quod digni sunt eo stipendio, neque enim obliga-
di sunt ad quodlibet spirituale beneficium praestan-
dum suis subditis propter eam causam. Ad primam con-
firmationem imprimis negatur consequentia: nam
ut dixi aliud est, teneri ad dicendam Missam, ut Pa-
rochiam possint eam audire, aliud vero teneri ad of-
ferendum pro ipsis: quamuis enim demus, teneri ad
sacrificandum quotidie per se, vel per alium in sua
Parochia, priori titulo, non tamen inde sequitur,
teneri ad offerendum pro subditis: quia hoc est valde
diuersum: & non est per se coniunctum cum pri-
ori. Deinde dicitur ad antecedens, non satis constare
de illa obligatione: sed solum esse certum, teneri
Parochos ad celebrandum, vel efficiendum, ut in sua
Parochia celebretur omnibus diebus, in quibus po-
pulus sacrum audire tenetur: quia saltem illis diebus
est hoc ministerium necessarium populo, ut ipse pos-
sit obligationem suam implere: Parochus autem ex
officio tenetur saltem ad omnia praestanda, quae hoc
modo sunt ouibus necessaria. Vnde si Parochus ab-
sit, vel non resideat, tenetur providere, & sufficienter
alere alium qui hoc munus explere possit. Quod vero
pertinet ad obligationem quotidie sacrificandi,
consulenda sunt, quae superius diximus, disput. 80.
sectione 2. nam ex dictis ibi constat, communiter
esse hanc obligationem in Parochijs, vbi est suffi-
ciens sacerdotum numerus: at vero, vbi solus est Pa-
rochus, non est facile talis obligatio imponenda,
maxime cum Concilium Trident. sess. 23. c. 14. de re-
formatione, hoc attingens, solum dicat: Curet Epi-
scopus, ut Presbyteri, saltem dieb. Dominicis, & festis
solemnibus: si autem curam habuerint animarum,
tam frequenter, ut suo munere satisfaciant, Missas ce-
lebrēt. Itaque in hoc praecipue est attendenda consuetudo,
vel, si quid est in Episcopatu circa hoc statutum. Quod
si alicubi esset haec obligatio quotidie celebrandi, in-
telligenda esset moraliter & regulariter: quia alias
esset onus intolerabile. Nisi fortasse tale sit bene-
ficiu

Soti sententia
reijctus.

Maiores
Nauar.
Cordub.

Superior vbi
ligationis subdit
in omnibus
munus ca-
racher, ipe-
tus suorum
subditorum.

Conc. Trid.



ficiam talisque consuetudo, vt obligat ad prouidendum quotidie Ecclesiæ de sacrificio, per se, vel per alium: tunc enim cum maiori rigore vrgebit talis quotidiana obligatio, vt Panormit. & alij notant in cap. Significatum. de Præbendis, Syluest. verbo; Missa 1. quæstione 7. & Nauar. supra, & in hoc etiã consentit Soro. Ad 2. confirm. aliqui dicunt, teneri Parochũ ad sacrificandum pro suo populo diebus Dominicis & festis. Sed hoc solum videntur colligere ex eo, quod illis diebus tenetur sacrificare, quæ tamen illatio non est sufficiens vt ostendi: nulla ergo certa regula in hoc dari potest, sed consulenda est consuetudo: aut, si de illa non satis constat, Episcopus deberet aliquid certum in hoc statuere: quod si hoc non faciat, prudẽti arbitrio ipsius Parochi relinquendum erit.

*Difficultas
Specialis.*

Circa alium modum prædictæ obligationis ortæ ex priuato stipendio, est specialis difficultas, quia talis obligatio non potest oriri, nisi medio aliquo pacto vel conuentione: sed omnis huiusmodi pactio est iure reprobata, cap. Tuanos. de Simonia. capit. vlt. de Pactis. cap. Quam pie 1. quæstione. 2. quia videtur esse simoniaca, cum in ea detur spirituale pro temporali. Vnde D. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 2. & 3. ad 2. dicit, licere quidem accipere stipendium, dummodo pactum non intercedat, quia alias erit simonia: & in 4. distinct. 25. q. 3. art. 2. q. 1. ad 4. dicit pacisci de Missa dicenda, semper esse simoniam. Dicere autem omnia stipendia Millarum, quæ in Ecclesiã dantur & recipiuntur, esse simoniaca, impius error esset & intolerabilis, cum vniuersã Ecclesiã; eiusque Pastores huiusmodi consuetudinem approbent, ex illis principijs traditis à Christo, Luc. 16. Dignus est operarius mercede sua: & à Paulo. 1. ad Corint. 9. Qui altari deseruit ex altari viuere debet: Quæ ipsa etiã naturali ratione nititur, quia vnusquisque meretur ali ab eo, cui deseruit, vel in cuius ministerio & officio occupatur: nam hoc maxime necessarium est ad vitam transigendam: ergo cum præcipuum munus & officium sacerdotis sit sacrificare, si in alicuius vtilitate illud exhibet, & in hoc occupatur, naturalis ratio postulat, vt ab ipso alatur. Ad hanc difficultatem in primis negare non possumus, quin in hoc negotio aliquod pactum interueniat inter dantem stipendium, & sacerdotem: nam ille dat, vt hic faciat: hic vero facit, quia recepit, seu vt recipiat stipendium. Et ita docent Adriã. quodlib. 9. artic. 1. Caietanus 2. 2. quæst. 100. artic. 2. Dominicus Soto, lib. 9. de Iustitia & iure, quæstion. 6. artic. 1. Nauar. in Summa, cap. 23. num. 102. & patet ex dictis: nam sine huiusmodi pacto, quod intercedat inter sacrificantem & stipendium dantem, nulla ratione intelligi posset, quo pacto oriatur, aut oriri possit obligatio ex iustitiã.

*Adriã.
Caietan.
Soto.
Nauar.*

Quod ita breuiter declaro, nam si quis sacerdotem alatur, non tamen postulans hoc nomine ab eo sacrificium proficere fieri, neque sub hac conditione ab illo acceptata, sed solum ex misericordia, aut intuitu religionis, vel ex mera sua liberalitate, aut alias quacunque ob causas ad hoc motus: sacerdos in huiusmodi casu non obligatur ob sacrificium offerendum pro illo: imo sine omni iniustitia potest ab alio iustum Missæ stipendium accipere, vt pro illo sacrificium offerat: & e contrario, quamuis sacerdos offerat sacrificium pro me, mihi que id ipsum euidenter confiteri, non propterea tenebor ex iustitiã illi stipendium dare: quia non ex mea, sed ex sua liberali voluntate id fecit. Vt ergo vtrinque oriatur obligatio ex iustitiã, necessarium est pactum, saltem implicitum: quia hæc oblatio pendet ex mutuo consensu, & ex mutua promissione, sub conditione onerosa vtrinque etiã acceptata: in quo ratio pacti & conuentionis consistit, & reuera hoc modo, tacito vel expresso, fit conuentio inter dantem stipendium, & recipientem. Nam ille hoc animo dat, vt alterum obliget: & hic animo se obligandi illud recipit, ad faciendum id, cui-

ius causa datur: nam hoc ratio naturæ æqualitatis requirit. Præterea, etiã in annuatijs, & capellanij, & alijs beneficijs Ecclesiasticis, hoc pactum expressum vel tacitum intercedit: quia, & fidelis tenentur ex iustitiã alere ministros, & ipsi ministri tenentur, etiam ex iustitiã, facere ministeria, propter quæ alatur: non enim obligantur tantum ex charitate aut misericordia, obligatio enim charitatis oritur tantum ex necessitate alterius, non ex recepta: hæc autem obligatio oritur ex recepta: vnde per se conuenit, etiam omni seclusa speciali necessitate. Neque etiã est obligatio orta ex religione tantum: non enim fundate ordinatur, sed ad hominem, cui fit iniuria, si non impletur, & ideo ad restitutionem obligat: est ergo obligatio ex iustitiã, quæ in huiusmodi rebus vel actionibus, sine pacto hequit intelligi: non est ergo in hoc pacto intrinseca malitia.

Ad autoritates vero adductas quidam respondent, quamuis hoc pactum per se malum non sit, quod tamen fuisse prohibitum: quia habet speciem malitiam, & indecentiam quantam: eam vero prohibitionem per contrariam consuetudinem esse abrogatam. Sed hæc sententia falsa est: quia necalis prohibitio ostendi potest, neque habet locum, vbi ratio stipendij interuenire potest, semper autem in Ecclesiã licet, stipendium dare ministris sacrificiorum ad eorum sustentationem: in ratione autem stipendij intrinsece includitur pactio aliqua, sicut intrinsece ex illo oritur obligatio iustitiæ: & ideo mercedi operarij, & stipendio militis à Christo & Paulo merito comparatur. Numer. autem 18. tale stipendium sacerdotis, pretium pro ministerio appellatur. Secundo respondent, alij, duo considerari posse in actione sacrificandi: primum est, sacrificium ipsum, & fructus spiritualis eius sub qua ratione, certa fides est, non posse vlla ratione pretio æstimari aut in pactum deduci: esse enim hoc aperta simonia, & magna irreuerentia rei sacre: secundum est corporalis labor vel occupatio: & quoad hoc dicitur ministerium illud: pretio æstimabile, & deduci posse in pactum: quia res materialis non amittit suum temporalem valorem, propter spiritualem conditionem annexam, vt de calice consecrato, & alijs similibus rebus constat. Atque hoc modo dicitur in Concilio Agathen. cap. 36. 1. quæstion. 2. capit. vltim. Clerici omnes, qui Ecclesiã fideliter, vigilanterque deseruiunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum meritum sui meritum, per ordinationem canonum à sacerdotibus consequantur. Et huiusmodi sententia fauent locutiones sacre Scripturæ supra adductæ: est ergo probabilis, non tamẽ omnino satisfactoria, vltimatus dicitur in materia de simonia, quamuis labor corporalis, qui non per se, sed ex accidente, ad spirituale ministerium requiritur, pretio vere æstimari possit, & idem est, vendi: tamen ille, qui est per se coniunctus cum spirituali ministerio, non potest vendi: quia tanquam vnũ omnino cum ipsa re spirituali reputatur: quod præcipue verum habet, quando actio ipsa corpora nullius esset æstimationis & valoris, nisi spiritualitatem haberet adiunctam, tunc enim tota æstimatio oritur ex ratione spirituali, & ideo talem actionem corporalem vendere, reuera esset vendere rem spiritualem. Tertio ergo responderetur, hic non dari stipendium, tanquam pretium operis: & sub hac ratione excluditur pactum, scilicet, extrinsece superadditum, quo videatur res ipsa spiritualis vendi, vel locari: aut stipendium taxari, iuxta valorem & æstimationem ipsius rei spiritualis: datur ergo stipendium solum ob sustentationem necessariam, & naturali lege tantis debita: vnde non excluditur pactio de huiusmodi stipendio, quod intrinsece contrahitur in huiusmodi humanis actionibus, iuxta illud, Non alligabis os boui trituranti: & ideo in hoc nulla fit iniuria rei spirituali, sed potius humana subuenitur necessitati: quia minister sine alimento viuere nullo modo potest, nec spiri-

Spirituali ministerio, vt par est, vacare: quamvis ergo homo ex se gratis minister, tamen ratio iustitiae postulat, vt ab eo alatur, cui ministrando seruit. Quae doctrina sumitur ex D. Augustin. lib. de Pastore. cap. 2. & idem est sensus D. Thom. loco citato, & Durand. in 4. sententia distinct. 25. quaestio. 3. Paludani similiter quaest. 5.

Augustin.
D Thom.
Durand.

Quaestio
iustit.

Sed quaeret tandem aliquis, ad quid obligetur sacerdos, seu quid applicare teneatur ei, qui stipendium dedit. Sed haec res fere in superioribus explicata est. Primum enim non est satis, vt pro eo generaliter offerat, quia hoc commune est omnibus, vnde haec obligatio non oritur ex stipendio, sed potius ex communi lege Ecclesiae. Secundo neque etiam in alio extremo tenetur, proprium & personale fructum alteri applicare: primo quidem, quia adhuc incerta res est, an talis fructus possit alteri tribui: secundo, quia quauis sacerdos dicat Missam in peccato mortali, plene satisfacit huic obligationi, nec tenetur aliquid restituere, & tamen nullum habuit personalem fructum, quem applicaret. Tertio, quia esset irrationabile, obligare sacerdotem, vt se omni fructu priuaret: quare, neq; ipse habet intentionem te ad hoc obligandi, neq; alter potest aut debet habere intentionem hoc postulandi. Superest ergo, vt dicamus, teneri sacerdotem ratione stipendij ad applicandum ei, pro quo specialiter offert, fructum illum sacrificij, seu illam portionem satisfactionis, quae illi, vt ministro publico ad distribuendum seu applicandum commissa est. Probatur a sufficiente enumeratione, quia sacerdos tenetur specialiter offerre, & applicare sacrificium ei, qui stipendium dedit, sed non tenetur personalem fructum applicare: ergo saltem tenetur applicare hunc fructum quem vocare possumus ministerialem. Item, quia haec ratio censetur speciali modo operari vt minister alterius. Item, quia haec est rationabilis intentio petentis sacrificium, & dantis stipendium. Ac denique, quia non potest haec obligatio commodius declarari, & in hoc modo nulla occurrit difficultas.

Conclusio.

Probatur
conclusio a
sufficiente
enumeratio-
ne.

SECTIO II.

Quaestio iusta Missarum stipendia.

Quando obligatio offerendi sacrificium pro aliquo oritur ex aliquo Ecclesiastico titulo, seu ex redditibus certis & stabilibus, nulla est difficultas: quidquid n. tali titulo annexum est, vel ob eam piam causam relictum seu donatum est Ecclesiae, est iustum stipendium talis obligationis; neque in hoc potest esse excessus: tum quia huiusmodi redditus voluntarie donantur Ecclesiae, tum etiam, quia decens status sacerdotis habet latitudinem, & ideo, si is, qui instituit Capellaniam, vel simile beneficium, vult pinguiores redditus, seu maius stipendium, ob singula sacrificia relinquere, totum id subit ratione iusti stipendij. E contrario vero possent interdum redditus ita esse tenues, vt non attingerent mediocre vel minimum stipendium sufficiens, quod raro contingit: si vero id accidat, pertinebit ad Ecclesiae Episcopum, onus seu obligationem ad eum numerum Missarum redigere, in quo vniciq; iustum stipendium respondeat, saltem moderatum, iuxta ea, quae in sequentibus dicemus: de his ergo redditibus & obligationibus nihil amplius dicendum superest, sed solum de his stipendijs, quae voluntarie dantur a fidelibus, quas Hispani (Pitanfas) vocant.

Aduertentia

Conclusio.

De quibus primo dicendum est. Si stipendia taxata sint a superiori habente potestatem, nihil censenda sunt iusta, ita vt maiora non possint iuste exigi. Ratio est, quia, licet stipendia non sint vere pretia, tamen, quotiens in eis dandis & recipiendis ratio iustitiae intercedit, seruant proportionem quandam: & in eis necesse est, aliquod medium aequalitatis inueniri.

ri: sine qua, nec vera ratio iustitiae, nec medium illius reperiri potest: ergo, sicut pretia rerum possunt communi lege, publica potestate taxari, ita & haec stipendia. Patet consequentia, tum a paritate rationis: tum etiam, quia, cum hoc medium non sit ex natura rei definitum, non potest certiori modo aut via praescribi: est ergo haec potestas in Ecclesia, vel vniuersalis in Pontifice, vel particularis pro suis diocesis. in Episcopis: si ergo ipsi certam aliquam regulam statuunt, illa est obseruanda, nisi euidentem iniustitiam contineret, quod praesumendum non est.

Notabilis

Sed circa hoc est difficultas, nam aliqui dicunt, non licere hoc stipendium ita taxari, vt neq; plus, neque minus iuste accipi possit, vt sentiunt Soto, libro 9. de Soto. iustit. quaest. 6. art. 1. ad 2. & Nauar. cap. 25. numer. 106. Nauar.

quia hoc esset, impedimentum & obstaculum ponere pijs fidelium voluntatibus: ergo videmur in conclusione supponere id, quod licitum non est. Respondeatur, neminem negare, nec negare posse hoc stipendium ita posse taxari, vt sacerdotibus non liceat magis exigere, neq; etiam fideles minus dare possint, praedictam obligationem iustitiae imponendo: & hoc satis esset ad conclusionem positam, & hoc probat etiam ratio pro illa adducta: & est valde necessarium ad vitanda scandala & sacrilegia, quae in exactioibus iniustis stipendiorum committi possunt: & alioqui, si sacerdotibus definitur terminus, vltra quem plus non exigant, ratio aequalitatis postulat, vt etiam alij possint imponi, ne minori stipendio velint sacerdotes ad hoc obligare. Imo maiori prouidentia curandum est, vt sacerdotes habeant congrua stipendia, quibus honeste sustentari possint: vnde in hoc etiam expedire potest praecauere, ne laici, pauperes sacerdotes cogat, vt vili stipendio contenti ad hoc ministerium obligentur, quod significauit Corduba, lib. 1. Quaestionum, quaestio 4. Per hoc tamen non prohibetur: nec per se loquendo, prohiberi potest, quominus fideles dent maiora & duplicata stipendia, si velint, dummodo omnino spontanea & voluntarie id faciant: & hoc probat ratio in contrarium adducta: & praeterea, quia aliud est ex iustitia exigere, aliud, qd gratis donatur, accipere: lex ergo iustitiae non impedit misericordiae aut liberalitatis, vel religionis opus. Et eadem ratione illa lex non impediret, quominus sacerdos possit minori stipendio esse contentus: quia, non obstantem lege iustitiae, potest ipse gratis remittere, & cedere iuri tuo. Etenim, cum possit omnino gratis & sine vilo stipendio ad offerendum sacrificium se obligare, a fortiori poterit minori stipendio esse contentus. Imo ait D. Thomas, 2. 2. quaestio 100. articulo 2. tertio ad secundum, illicitum esse, si in aliqua Ecclesia talis lex feratur, vt pro nullo fiant suffragia, nisi tali stipendio dato: quia per tale statutum (inquit) praeccluderetur via, gratis impendendi pietatis officium, quae sententia Diui Thomae, moraliter loquendo, vera est, maxime, si respectu singularum personarum talis lex fieret: tamen respectu alicuius communitatis illa statuta non sunt semper mala: imo sunt in vsu multarum Ecclesiarum: quia pertinent ad quandam decentiam, vel totius capituli, vel ad congruam sustentationem totius Ecclesiae, & expensarum, quae in illa sunt: nunquam tamen intellegendum est, per haec statuta prohiberi, quominus, si misericordiae vel pietatis ratio postularit, vt huiusmodi suffragium sine tali stipendio fiat, id licite fieri possit, saltem ex voluntate & consensu eorum, ad quos tale ius pertinet: talis enim prohibitio intellecta in eo sensu, prorsus rationem esset, & aequitati minime consentanea: neque Christianae pietati: & hoc praecipue intendit D. Thomas, citato loco: neque aliud ratio eius persuadet.

Responso.

Corduba.

D Thom.

D Thom.

Dico secundo: Si lex Missarum stipendium non taxauit, illud earum erit iustum stipendium, quod communi consuetudine communiter receptum est & appro-

Conclusio.

& appro-

& approbatum, seu quod à viris prudentibus & Deū
 timentibus cōmuniter peti aut dari solet. Ita docent
 prædicti auctores, & ratio est eadem, quia seclusa le-
 ge taxante, hæc est iuxta censendi seu iudicandi iusta
 præfã rerum: hoc autem stipendiū, licet non sit pre-
 tium, seruat tamen cum illo proportionem, vt dixi.
 Et confirmatur, quia non debet hoc committi cuius-
 cunque voluntati, vt suo arbitrio possit iustum sti-
 pendium augere, vel minuere: repugnat enim hoc
 rationi iustitiæ: ergo oportet, vt aliqua autoritate
 publica hoc definitum sit: ergo, quando non interce-
 dit lex, ex communi æstimatione & consuetudine,
 quæ vim legis habere solet, definiendum hoc est.

Notabil.

Quo fit, vt in hoc casu, in quo tale stipendium non est lege
 taxatum, eius æqualitas iuxta nõ possit in indiuisibi-
 li consistere, sed aliquam latitudinem habeat: sicut
 contingit in pretijs rerum, quæ communi tantum æ-
 stimatione præscribuntur: quia communis æstima-
 tio non semper est ita fixa & certa: & ideo, sicut in his
 pretijs distingui solent infimum, medium, & sum-
 mum: ita etiam possunt hæc stipendia distingui. Cau-
 endum tamen est sacerdotibus, ne more venalium
 rerum hoc negotium tractent, cum fidelibus contē-
 dendo, vt rigorosa & summa stipendia exigant: nam,
 licet in rigore non sit iniustitia: est tamen quædam
 irreuerentia, ex qua communiter scandalum sequi
 solet. Si autem semel sacerdos contentus est medio-
 cri, vel infimo stipendio, tamen iusto, non potest de-
 inceps arbitrio suo reducere illud ad rigorosum sti-
 pendium, minuendo, verbi gratia, Missarum nume-
 rum: nam hoc iam esset contra iustam dantis volun-
 tatem: & ita esset acceptio rei alienæ inuito domino,
 rationabiliter.

Dico tertio, iustam æqualitatem huius stipendij
 non esse pensandam ex integra quantitate pecuniæ,
 qua sacerdos indiget ad suam congruam sustentationem:
 posset enim existimari, hoc stipendium, vt
 sit iustum, ita esse taxandum, vt totum id, quod nec-
 cessarium moraliter est ad congruam sacerdotis su-
 stentationem per annum integrum, sicut etiam iustū
 stipendium omnium Missarum simul sumptarum,
 quæ intra annum moraliter dici possunt: & conse-
 quenter, quod singularum Missarum iustum sti-
 pendium sit illa pars aliquota, quæ iuxta dictam propor-
 tionem respondeat. Et huc modum assignandi hoc ius-
 tum stipendium, videtur sequi Soto, & alij, qui con-
 siderant Missam, tanquam integrum sacerdotis mi-
 nisterium: & ideo volunt, vt illi integra diei susten-
 tatio respondeat. Conclusionem tamen positam tenet
 Corduba, citans Medinam, & Nauar. supra, dub.
 2. Et probatur primo ex consuetudine Ecclesiæ: nã,
 quando hæc stipendia lege taxantur, non solent esse
 tam pingua, vt sola sufficiant ad integram sustenta-
 tionem sacerdotis: ergo non sunt maiora exigenda,
 quando communi æstimatione definiuntur. Et ita
 etiam seruat vsus, vt hæc etiam non sint admodum
 pingua nec per se sola sufficientia. Secundo, quia ac-
 tio sacrificandi non requirit integrum diem, neque
 maiorem partem eius: ergo nõ est, cur sacerdos pro-
 pter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro
 quo sacrificium offert. Patet consequentia: tum quia
 sacerdos non tantum habet hoc ministerium, sed et-
 iam exercet alias actiones sacras, ratione quarū po-
 test aliquid in sustentationem recipere ex fidelium lar-
 gitionibus, vel alijs Ecclesiasticis redditibus: tum et-
 iam, quia propter hoc ministerium, non impeditur
 sacerdos quominus alia honesta via, possit aliquid ad
 vitam sustentationem lucrari, vt habetur in cap. Cle-
 ricus vltim, 91. distinctione, ex Concil. Carthag. IV.
 cap. 52. Atque hinc obiter intelligitur ratio, ob quam
 maius stipendium taxetur pro solempni Missa, quam
 pro priuata: quia scilicet, neutri debetur integra sus-
 tentatio; & ideo quo maius ministerium sacerdos
 exhibet, eo aliquid amplius ad sustentationem suam
 recipere potest: & eadem ratione, quo die sacerdos

3. Concluf.

Soto.

Corduba.

Con. Carth. 17.

plures Missas facit, potest plura stipendia, etiam ab
 eodem recipere: imo, licet contingat, eum peccare
 contra obedientiam vel religionem, plures Missas
 accipiat, contra iustitiam non peccabit: quia, licet
 iniique agat, secundo aut tertio sacrificium eodem
 die offerendo, tamen sacrificium ipsum validum est,
 & pro aliquo oblatum eundem effectum habet ex o-
 pere operato. Denique hac ratione in agendo sumere,
 seu officio integro defunctorum aliquod stipendium
 datur sacerdoti, ratione Missæ, & aliud ratione Vigi-
 liæ seu Nocturni officij, & sic de alijs: signū ergo est,
 quodlibet horum esse veluti inadæquatam ministere-
 rum sacerdotis, & consequenter nulli eorum per se
 debere adæquatam sustentationem respondere. Ne-
 que contra hoc inuenio rationem, aut motiūm ali-
 quod contrariæ opinionis, cui satisfacere necesse
 sit.

Dico quarto: Non potest sacerdos, seruata iustitiæ & Concl.
 æquitate, ratione vnus Missæ accipere, nisi vnum ad-
 æquatam stipendium, siue ab vna, siue à multis per-
 sonis. Conclusio hæc communis est, neque inuenio
 auctorem aliquem, qui contrarium in communi &
 absolute sentiat, ex vi talis muneris & stipendij nam,
 licet contrariam sententiam aliqui Caietan. attribu-
 ant, eo quod ex alia eius opinione de valore Missæ, se-
 qui videatur, tamen directe & formaliter nunquam
 id docuit, neque esset præctice probabile, in prædicto
 sensu: nã, vt rum fieri possit aliqua exceptio propter
 particulares rationes in aliquo speciali casu occurre-
 res, postea videbimus. Respectu ergo eiusdem per-
 sonæ conclusio euidenter sequitur ex principijs
 fitis: nam, si iustum stipendium habet certum terminum,
 lege vel consuetudine taxatum: ergo, seruata
 lege iustitiæ, non potest ille terminus excedi: ergo nõ
 possunt ab eodem duo stipendia pro vna Missa exigi,
 alioquin iam excederetur terminus seu quantitas iusti
 stipendij, inuito eo, qui dat: supponimus enim, eum
 duo stipendia dare, vt sibi dux Missæ dicantur, sacer-
 dotem aut velle illi vna Missa satisfacere, quod pla-
 ne est contra rationabilem alterius voluntatem, &
 contra pactum implicitum in priori acceptatione, & e-
 largitione contentum: nam alter dedit duo stipendia
 sub conditione, & promissione duorum sacrificio-
 rum, & sacerdos sub eadem conditione acceptauit,
 ac recepit: postea vero non implet, nec stat promissis.
 Vnde, etiam iniuste, priuat alterum maiori fructu
 duplicis sacrificij. Ex hac vero parte sequitur altera,
 scil. idem dicendum esse respectu diuersorum: quia
 medium iustitiæ, quod est medium rei, in ipsis rebus
 consistit, siue ad vnam, siue ad plures personas dicat
 habitudinem; vt, si furari decem aureos peccatum
 mortale est, idem erit, siue ab vno, siue à pluribus ho-
 minibus subripiantur; & idem est, si res carius ven-
 datur, quam iuste æstimatur, siue ab vna persona to-
 tum pretium, siue partim ab vna, partim ab alia ac-
 cipiat. Sic ergo in presente iustum etiam stipen-
 dium pro vna Missa in re ipsa certum ac præfixum est:
 ergo quacunque ratione maius accipiat, siue ab v-
 no, siue à multis, iniustum est. Accedit, quod secun-
 dum veriore sententiam, si idem sacrificium pro
 multo offeratur, singuli defraudantur aliquo fru-
 ctu, quem Sacerdos possidet, & debet applicare: ergo
 nulli eorum ad æqualitatem satisfaciunt, neque ad im-
 plet iustum pactum & promissionem. Et hinc soluta
 manet obiectio, quæ fieri solet ex eo, quod Missa pro
 multis oblata tantum valet singulis, ac si pro vno so-
 lum offerretur. Negatur enim allumptum, in eo sen-
 su, quem in presente habere debet, vt ex dictis patet.
 Ac deinde dicitur, vt minimum, esse rem incertam,
 & periculis expositam; & hoc satis esse, vt iniuste
 fiat contra rationabilem voluntatem eius,
 qui stipendium dedit.



SECTIO III.

Virum Sacerdotes diuites possunt stipendia pro Missis accipere.

D Thom.
Syluest.
Adrian.
Gratian.

Prima sententia negat, quam multum indicat D. Thomas, in 4. distinctione 25. questione 3. artic. 2. quaestiuicula 1. ad 4. & Caeter. 2. 3. quaestione 100. ar. 2. Syluest. verb. Simonia. quaestione 3. Adrian. in 4. materia de restitut. fol. 91. & Gratian. in cap. Pastores. §. Verum, quaestione 2. ubi, ut videre est, multa iura congerit, in quibus significatur, non posse iuste sacerdotes diuites redditibus Ecclesiasticis frui, & sustentari; quod etiam significatur in c. Illi autem. 12. quaest. 1. ubi Prosper ait. Sacerdotes diuites, qui possident sua, non peccare, dummodo propriis contenti rebus, nihil eorum, qua labori, vel Ordini suo deberi arbitrantur, accipiant. Et similia referuntur ex August. in cap. vlt. eiusdem quaest. ubi significat, si hac stipendia Ecclesiastica accipiantur ab huiusmodi diuitibus, non in eorum usus, sed pauperum, esse distribuenda. Eadem autem ratio est de his Missarum stipendijs: nam, quatenus spirituali titulo accipiuntur, inter Ecclesiastica bona computantur. Ratio autem esse potest, quia hoc stipendium solum accipi potest in sustentationem: ergo, qui hac non indiget, non potest illud accipere: alioquin conuincetur illud fumere, ut sui operis pretium.

Aduertenda

Aduertendum est, sacerdotem posse esse diuitem, vel ex bonis temporalibus, & hereditarijs, vel ex redditibus Ecclesiasticis, ex quibus (ut vidimus) quidam dantur sine obligatione dicendi Missam pro alio, sed ob alios titulos; quidam vero interdum dantur specialiter propter hoc onus offerendi Missam pro aliquo. Dico ergo primo: Quamuis sacerdos proprium habeat patrimonium, seu temporalia bona, quibus sufficienter ali possit, sine iniustitia potest stipendium pro Missa accipere. Ita D. Thom. quod lib. 6. artic. 10. Soto, lib. 9. de iust. quaestio. 6. artic. 1. Nauar. in Sum. cap. 23. num. 102. Gloss. & Doctores, in cap. Clericos. 1. quaestio. 2. Probatur, quia sacerdoti ministranti, ex iustitia debetur alimentum: ergo iuste potest illud accipere, etiam si alioquin temporaliter diuites sit: patet consequentia, quia hoc est valde extrinsecum, & per accidens, quod non tollit proprium ius, quod per se conuenit: Confirmatur prima, quia quamuis possit sacerdos propria industria, vel labore integrum victum lucrari, non tenetur, sed potest de alio viuere: ergo similiter potest idem facere, quamuis habeat temporales redditus: nam usus artis, vel propria industria interdum aequiualet temporalibus diuitijs. Confirmatur secundo, nam sacerdotes temporaliter diuites, habent beneficia Ecclesiastica, eorumque redditibus sine serupulo fruuntur; sed nulla est maior ratio de his, quam de Missarum stipendijs: ergo. Tandem, miles, quamuis alias diuites sit, iuste accipit suae militiae stipendium: nam in illo etiam verum habet illud. Quis militat suis stipendijs vnquam? ergo eadem est in presente ratio.

Conclusio

Dico secundo, sacerdos habens beneficium Ecclesiasticum, quo sufficienter ali potest, si ratione illius non obligatur ad Missas speciali intentione dicendas, potest sine iniustitia stipendia Missarum accipere. Sumitur ex eisdem autoribus, & probatur eisdem rationibus: quia quod hi redditus sunt Ecclesiastici, impertinens est, cum ratione illorum stipendium Missae non debeat: nam ad utilitatem rationem in presenti non pertinet qualitas, seu modus diuitiarum, sed hoc solum, quod ratione illarum non debeat hoc ministerium, & consequenter, quod per accidens omnino se habeant, ut possint auferre ius percipiendi hoc stipendium. Quae ratio non solum conuincit, posse accipi hoc stipendium omnino gratis oblatum: hoc enim modo, etiam si sacerdos habeat redditus cum obliga-

tionem dicendi Missam, potest nonnum stipendium gratis oblatum accipere, dummodo constet alium scienter & spontaneè donare, ut in specie statim dicemus de Parochis: conuincit ergo ratio facta, posse huiusmodi sacerdotem iuste exigere, & eodem modo pacificè, ac si alias nihil haberet, quod sine causa Nauar. cū Caetano negat: & patet, quia iustitia ratio eadem est: nec pactum illam minuit aut violat, neque magis est simoniacum tale pactum in diuite, quam in paupere: cur enim? non etiam diuites non petit, ut pretium, sed ut alimentum sibi per se debitum: quo iure semper uti potest, bona alia, quae cumque illa sint, in alios usus referuando. Atque hinc etiam fit, non teneri huiusmodi sacerdotes speciali obligatione, stipendia sic accepta pauperibus donare, ut quidam ex dictis autoribus significant: quia reuera acquirunt illorum dominium, & persistendo in vi & obligatione iustitiae, possunt eis libere uti: ex charitate tamen poterunt obligari: quia cum his stipendijs ditiores efficiantur, poterunt facilius habere superflua, vnde pauperibus subuenire possunt. Potest etiam haec obligatio in eis esse maior ratione sui status, tamen intra latitudinem semper misericordiae & charitatis: quia non est, vnde obligatio alterius rationis in eis oriatur.

Nauar.
Caietan.

Dico tertio, Sacerdos, qui ex obligatione sui beneficii, Capellaniae, auctiorum reddituum Ecclesiasticorum tenetur Missam pro aliquo dicere, non potest pro eadem dicenda, stipendium ab alio accipere. Dico (pro eadem) quia, licet habeat obligationem aliquoties in hebdomada, mense, aut anno, pro aliquibus sacrificiis offerendi ratione beneficii, nihilominus alijs diebus, quibus non obligatur, potest stipendia accipere, ut per se constat ex praecedentibus conclusionibus: quia pro illis diebus, habet ius suum integrum, ac si nullos redditus haberet. Sic ergo explicata conclusio sequitur aperte ex dictis dubio praecedente: nam Sacerdos non potest duo integra stipendia pro eadem Missa accipere: ergo neque potest stipendium accipere pro Missa, ad quam specialiter offerendam tenetur propter alios Ecclesiasticos redditus: patet consequentia, quia illi redditus non solum aequiualet ad quatuor stipendio, sed etiam superabundanti, regulariter loquendo; hoc enim in hac disputati supponimus; nam, si redditus sint insufficientes, iam Sacerdos non obligabitur ratione illorum plene ac integre, ut supra insinuatum est, & dicemus etiam sectione sequente.

Conclusio

Et iuxta hanc conclusionem, adiunctis his, quae in 1. sect. dicta sunt, expediendum est commune dubium de Parochis, an possint stipendia Missarum accipere. Soto enim loco citato, quamuis teneat, Parochum teneri, quotidie sacrificare pro suis ouibus, nihilominus addit, posse accipere stipendium ab eis dicit ouibus suis, ut sacrificium pro aliquo in speciali offerat, quia Parochiani non debent querere extraneum sacerdotem, qui pro eis specialiter offerat. Vnde offerendo voluntarie elemosynam suo Parocho, consequenter etiam volunt, & contenti sunt, ut pro eis ipse offerat eo modo, quo potest. Neque intendunt eum obligare, ut aliunde sacerdotes vocet, vel, ut Missas alijs dicendas committat, neque etiam ipse huiusmodi obligationem suscipit, aut ea intentione elemosynam acceptat. Ab extraneis vero (ait Soto) non potest stipendium accipere, quia non potest pro eis specialiter offerre. Sed haec non videntur admodum consequenter dicta. Dico igitur, cum Parochi non teneantur quotidie pro subditis celebrare, ut ostendimus, pro illis diebus, pro quibus non obligantur, posse accipere stipendium, tam ab extraneis, quam a proprijs ouibus. Patet ex praecedente conclusione: quia, quoad eos dies habet Parochus ius suum integrum, ac si beneficium non haberet. Vnde infero, quotiescunque Parochus accipit stipendium, etiam a suis subditis, si possit commode pro eo, qui dedit stipendium, Missam dicere eo die, quo non obligatur

Sacerdos non potest accipere duplicatum stipendium integrum.

gatur offerre pro suis subditis, debet id facere, & pro illo integre offerre: quia, per se loquendo, ad hoc obligatur, & potest talem obligationem implere: ergo tenetur. Item, quia hæc est iusta voluntas dantium stipendium, ut scilicet pro eis integre offeratur, maxime, si commode fieri potest. Imo addo, per se loquendo, non posse Parochum accipere stipendium, etiam a proprijs subditis, eisque satisfacere, pro illis offerendo illis diebus, quibus ex obligatione offert pro suo populo. Patet ex conclusione tertia, quia non potest accipere duplicatum stipendium integrum. Dico autem, per se loquendo, quia, si reuera non possit aliter singulis Parochianis satisfacere, tunc faciendo, prout potest, implebit obligationem suam: oportebit autem, ut eo casu Parochiani intelligant, Parochum ipsum non posse aliter pro eis offerre, ut voluntarie contenti sint illo offerendi modo: quia alias fieret eis iniuria, accipiendo ab eis integrum stipendium, non declarando eis impedimentum seu impotentiam, quam Parochus habet ad offerendum pro eis solis, & ex singulari, ac propria intentione. Sufficiet autem, ut ex consuetudine, vel publico mandato intelligant subditi, Parochum suum teneri, vel omnibus, vel talibus diebus, pro sua plebe sacrificium offerre: nam, si nihilominus aliquis eorum, ei voluntarie præbeat stipendium, ut eisdem diebus pro se sacrificium offerat, signum est, ipsum credere iuri suo, solumque vel le illo specialiori modo ad sacrificium concurrere, ut pro ipso simul cum alijs specialiter offeratur: hoc autem modo, & hac scientia interveniente, etiam a quocunque extraneo possit accipi stipendium, nam etiam ille potest suo iuri cedere, & illo genere oblationis esse contentus; & Parochus potest offerendo primum pro suo populo simul pro alio offerre, ut illi tantum profit, quantum absque iniuria sui populi potest. Quando vero Parochi impedimentum non est adeo publicum, quia non sunt certi & destinati dies ad offerendum pro populo, sed solum in genere, seu in comuni scitur, quosdam dies habere liberos: quosdam vero ad offerendum pro populo obligatos, tunc oportebit, ut, quando subditi, vel extranei stipendium offerunt, eis Sacerdos suum impedimentum, & onus aperiat, ut, vel illi voluntarie cōsentiant, vel alium sacerdotem quarant.

Consuetudine.

Ex quo tandem infero, quando in Ecclesia non est solus Parochus, sed sunt alij etiam Sacerdotes stipendarij, tunc multo minus posse Parochum satisfacere dantibus stipendia, siue Parochiani sint, siue extranei, offerendo pro illis, quādo pro suo populo celebrare tenetur: quia tunc, licet per se non possit, per alios potest plene illis satisfacere: ergo debet. Item, quia hæc censetur esse iusta voluntas dantium stipendium: & ita interpretanda est, nisi aliud eiusdem constaret aliunde, & ita etiam habet usus. Quæ omnia confirmantur, quia alias posset Parochus a suis Parochianis simul accipere plura stipendia, partim ex testamentis, partim a viuis offerentibus, & omnibus, & obligationi suæ Parochiæ simul vna Missa satisfacere, quod est valde absurdum. Quādo ergo tot elemosynis seu stipendijs onustus est, debet, quoad commode possit, curare, ut per se, vel alios, omnibus integre satisfaciat: vel, si hoc non potest (quod rarissime eveniet) admoneat eos, qui stipendia offerunt, ut, vel ipsimet sibi provideant, vel certe contenti sint ea oblatione, quam ipse pro eis facere potest. Cui doctrinæ videtur consentire Nauarr. cap. 25. num. 92.

Nauarr.

Hac vero occasione hic obiter queri solet, an Parochus, qui supra stipendia Missarum congregat, eaque postea inter sacerdotes stipendiarios distribuit, possit licite aliquam partem sibi retinere, vel ratione sollicitudinis, & laboris, vel certe, quia stipendium sibi datum est pingue, vel summum intra latitudinem æqualis stipendij, quod autem ipse dat alijs, est etiam iustum, magis tamen moderatum, vel etiam mini-

num. Quidam negant hoc licere, Maior in 4. dist. 45. 2. q. 1. quæstione 3. dub. 2. Nauarr. cap. 25. numer. 91. Cor. dub. dicta quæstione 4. dub. 1. quia voluntas dantis stipendium est, ut totum illud detur sacerdoti pro se Missam dicenti: & ideo alius non habet iustum titulum partem aliquam usurpandi. Contrarium tenet Soto, dicto lib. 9. de iust. quæst. 3. artic. 1. vbi peculiariter loquitur de Parochis, qui in sua Parochia hoc onus suscipiunt, ratione cuius possunt aliquid accipere. Ego vero censeo intrinsece non esse hoc contra iustitiam, non solum ratione illius oneris, sed etiam, quia nulli fit iniuria in ea distributione, seu quasi commutatione. Suppono enim dari stipendiario sacerdoti iustum stipendium in omni rigore: nam aliqui fieret illi iniuria: hoc autem serutato, nulla fit etiā si intra latitudinem iusti minimum deur: neque etiā fit iniuria ei, qui dedit stipendium, quia Missa iustæ valoris pro illo offertur, nulli ergo fit iniuria. Ratio autem à priori est, quia Parochus, vel Sacerdos, qui primo accipit stipendium, statim acquirit dominium illius sub obligatione dicendi Missam alteri, quam potest per se, vel alium implere: ergo, si postea satisfaciat integre illi oblationi, nulli facit iniuriam, etiam si minori stipendio dato id æquatur: quia iā non se gerit, ut pure Oeconomus, sed ut Dominus accepti stipendij, ad quem spectat, obligationem illam implere, ut commode possit. Unde potest exemplis moralibus hoc declarari. Nam, si Dominus committat famulo tantam pecuniam quantum, ut triticum talis squalitatis tantum emat, quantum famulus minori pretio illud postea comparat, non potest sibi usurpare residuum pecuniarum quantum, quoniam erat Dominus illius: unde non habet titulum ad retinendam illam. Si vero famulus statim fieret dominus illius pecuniarum ex consensu dantis, sub obligatione dandi triticum talis squalitatis & conditionis, quæuis postea minori pretio emerit, reliquam pecuniam retinere posset. In presenti igitur Parochus non se gerit priori, sed hoc posteriori modo: ergo in rigore non est iniustus, eam partem retinendo. Aliud exemplum esse potest, si quis, anticipata pecuniarum receptione, vendat triticum postea reddendum, illudque deinceps minori pretio emat, satisfaciet priori emptori, integram tritici quantitatem illi reddens. Potest vero differentia aliqua in his exemplis assignari, quia in eis, sicut potest quis retinere residuum pecuniarum partem, ita, si opus esset, aliquid de suo adjicere, ut obligationem impleat, teneatur id facere: & ita potest interdum accidere: ut vero in presenti nullum est periculum, quod oporteat interdum Parochum plus stipendij dare, quam acceperit. Dico tamen hoc esse accidentarium. Nam ex vi obligationis, vel per se ipsum debet satisfacere obligationi, vel certe dare totum stipendium necessarium, ut per alium satisfaciat. Hoc denique patet quotidiano exemplo habentium Cappellanos, quibus satisfaciant, per alios Missas dicendo, dando eis stipendia iusta, quamuis ipsi multo vberiora recipiant, & apud se reliquam partem retineant. Sed, quamquam hæc in rigore vera sint, nihilominus hæc veluti commutatio habet speciem turpis lucris: & ideo consulenda non est, sed potius corrigenda, quoad fieri possit: quod si non possit, erit tolleranda.

ARTICVLVS IV.

Virum sacerdotes pauperes possint accipere duplicata stipendia.

Aliqui graues auctores ita affirmant, saltem, quando vnum stipendium non sufficit ad victum diei sustentationem, non solum quoad victum & vestitum propriæ personæ, sed etiam ad alendam suam familiam, & consanguineos, etiam si sub illius cura, & in eius familia sint. Unde consequenter dicitur,

tot posse accipere stipendia pro vna Missa quot sufficiant ad huiusmodi sustentationem integrā. Ita sentit Cano 12. de locis. cap. 13. ad 10. Soto. lib. 9. de iustit. quæst. 3. artic. 1. in fin. & in 4. distict. 13. quæst. 2. arti. 1. in fine, & nonnulli eiusdem ordinis Theologi idem docent, & consulant. Fundamentum est, quia, qui altari deseruit, de altari viuere debet. Item, quia nō est cogendus sacerdos pauper mendicare, aut aliquo indecente modo victum quærere, vt constat ex Tridentino, sess. 22. c. 2. de Reform. Et confirmatur, nā Papa interdum concedit pauperib. religiosis, vel Ecclesiis, vt minori sacrificiorum numero pluribus stipendiis satisfaciant: Episcopi etiam, si expedire iudicant, interdum minuunt numerum Missarum ex obligatione dicendum, vt supra insinuauimus. & probat etiam Trid. sess. 22. c. 4. ergo signum est, hoc non continere intrinsecam iniustitiam, quia alias non posset Papa, vel Episcopus alios priuare iure suo, si illud haberent. Soto vero & alij addunt limitationem, scilicet, nisi is, qui dat stipendium, expresse postulet, vt pro se solo Missa dicatur, & ipse illam promittat: nam tunc tenetur seruare pacti fidem.

Trident.

Soto.

Authores prædicti videntur.

Sed in primis hi authores in duobus non videntur mihi consequenter loqui, primo in prædicta limitatione: nam, si fundamentum huius sententiae verum est, stipendium illud, quod est insufficientis ad prædictam sacerdotis sustentationem, non est æquale neque iustum: ergo, qui, illo tantum dato, postulat, vt pro se solo sacrificium offeratur, iniustam rem postulat: ergo, quāuis alius fortasse paupertate coactus id promittat (iuramentum secludo) non tenetur talem promissionem implere: sed potest se indemnē seruare: vel, si è contrario tale stipendium non est ita inæquale, quin alter possit iuste petere, vt pro se solo offeratur sacrificium, sufficere ad eandem obligationē implicita seu virtualis voluntas, quam habent omnes, qui huiusmodi stipendia conferunt sub hac estimatione & spe. Secundo, non videtur prædicti authores consequenter loqui, limitando hanc sententiā ad solos pauperes sacerdotes: quia vel illud stipendium integrum, ad sacerdotis sustentationē sufficiens, & ex multorum elemosynis resultat, est de se iustum stipendium, vel superexcedens: hoc secundum ab eis non dicitur, nec dici potest consequenter: si autem dicitur primum, sequitur etiam sacerdotem, alias diuitem, posse totum illud stipendium accipere: quia etiā ipse habet ius viuendi ex altari, cui deseruit: quod aut alias diues sit, est per accidens, & nihil impedit, quo minus ille possit vt iure suo, vt supra declaratum est: quod si absurdum est, hanc licentiam dare diuitibus sacerdotibus, vt reuera est, nullum est fundamentum, vt pauperibus tribuatur.

Conclusio.

Nauarr. Corduba.

Dico ergo, non posse pauperes sacerdotes plura stipendia iusta, seu lege aut communi æstimatione taxata, pro vna Missa accipere. Ita tenet Nauarr. capit. 25. num. 92. Corduba, dicit. quæstione 4. dub. 2. Ratio est, quia paupertas (seclusa extrema necessitate, de qua nunc non agimus) non dat facultatem accipiendi rem alienam, inuito domino, aut vendendi rem carius, quam valet: nec mercenarius aut miles potest aliquid vltra suam mercedem, aut iustum stipendium accipere ratione paupertatis: ergo nec sacerdos ob paupertatem potest accipere aliquid vltra iustum stipendium: ergo non potest duo stipendia accipere: nam supponimus ex dictis, vnum eorum esse iustum & æquale: ergo alterum erit vltra iustitiæ æqualitatem. Et confirmatur, quia sacerdos, qui ob inirmitatem vel aliud impedimentum non potest facere sacrum, non potest vel vnum stipendium accipere, decipiendo alium, pro quo non est Missam diciturus, vt suæ paupertati subueniat: ergo neque ille, qui potest vnum tantum facere sacrum, potest titulo paupertatis post primum stipendium accipere secundum: quia, postquam obligatus est ad Missam pro vno dicendam iusto & æquali stipendio, per-

Franc. Suarez Tom. 3.

inde se habet respectu alterius, ac ille qui celebrare non potest. Dices, hæc argumenta supponere quodlibet ex illis stipendiis esse per se iustum, & æquale, quod tamen alij authores non admittunt. Sed hoc sufficenter fundatum est in sect. 2. & expressim terminis, quibus vitimur, videtur per se notū: supponimus enim, hoc stipendium esse iusta lege taxatum, vel communi consuetudine & æstimatione, quæ sunt regulæ iusti pretij, vel stipendij. Sed adhuc dicere possunt, hæc æquitatem iusti stipendij non esse omnino absolutam, sed respectiuam. Vnde licet respectu diuitis, quodlibet illorum sit sufficiens & æquale stipendium, tamen respectu pauperis, est inæquale. Sed hoc facile refellitur ex dictis: nā conditio paupertatis, vel diuitiarū impertinens est ad æqualitatem, seu condignitatem stipendij: quæ non ex conditione personæ, sed ex ministerio pensanda est, vt patet ex dictis, sectione præced. & exemplis militum, & aliorum operariorum. Et ratio est, quia paupertas obligare potest ad subueniendum indigenti ex misericordia, non tamen obligat ex iustitia ad dandum ministro omnia, quibus indiget, sed quod ministerio eius, iuxta præscriptam legē seu mensuram, debitum est.

Occurrit obiectio.

Vnde consequenter infero, si talia stipendia non sunt integra, qualia lege taxata sunt, tunc posse sacerdotem, vel ad diuersis, vel ab eodem, tot stipendia pro vna Missa accipere, quod sufficiant ad iustum stipendium, & lege taxatum cōficiendum: quia tunc fit iniuria sacerdoti, & ipse potest indemnem seruare, & hoc probant rationes Soti, & Cani, qui non tam differunt ab alijs authoribus, in hac formali conclusione, quod pro vna Missa tātum licet vnum iustum stipendium accipere, quam in modo definiendi & taxandi hoc iustum stipendium. Limitat autem Corduba hoc vltimū corollarium, nisi sacerdos expresse promittat, se diciturum Missam tantum pro vno, etiam si inæquale dederit stipendium: sed, vt dixi, stādo in rigore iustitiæ hæc limitatio non videtur necessaria: quia tali sacerdoti fit iniuria, cogitur enim ob paupertatem inæquale stipendium acceptare: potest ergo, non obstante priori pacto, se indemnem seruare: sicut famulus aut operarius, cui condigna merces nō tribuitur, potest damnum suum, vt poruerit, refarcire, etiā si in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto, & inæquali stipendio: & similiter, qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest sine iniustitia, alia via se indemnē seruare. Dixi autem ex vi iustitiæ: nā si sacerdos omnino voluntariè contentus sit illo stipendio, & promittat, se integre sacrum oblaturum pro tali persona, tunc ad implendum tenebitur magis ratione promissionis simplicis: quam stipendij.

Consequenter.

Rationes Soti & Cani quid probent.

Corduba.

Ad fundamentum prioris sententiæ iam supra declaratum est, iustum stipendium Missæ non esse pensandum ex his omnibus, quibus sacerdos indiget ad integram diem sustentationem. Quocirca, si sacerdos pauper sit, fideles ex misericordia & pietate debent illi subuenire, ipse tamen nō potest iniusto titulo res alienas vsurpare: Sed ne mendicare cogatur, quod non decet in his qui paupertatem voluntariam non profitentur, ad Episcopi curam pertinet, vel eum non Ordinare, vel ei de necessarijs prouidere. Ad confirmationem, in primis posset argumentum illud in contrarium retorqueri: nam, si ad id faciendum Pontificis autoritas & dispensatio necessaria est: ergo per se ac propria autoritate id facere non licet. Deinde dicitur, nec Episcopus id posse facere, nisi, vel quando redditus sunt insufficientes ad tantum Missarum numerum, vel, quando alijs iustis de causis, ita possunt instituentis voluntatem interpretari: neq; etiā summus Pontifex potest id facere ex mera voluntate sua: quia non est dominus omnium temporalium bonorum, etiam, quæ Ecclesiæ relicta sunt, sed dispensator: & ita solum hoc potest per modum iustæ dispensationis ex causa rationabili, quæ esse potest, vel ali-

Notandum est.

Xxxx qu a

qua ex dictis, vel certe, quia iam est moraliter impossibile, omnibus obligationibus ad equalitatem satisfacere: & ideo, vel dispensat, vel interpretatur, ut satisfactio fiat aliquo prudenti modo possibili. Accedit, quod potest Pontif. ex thesauro Ecclesiæ applicare, quidquid satisfactionis in eo casu minuitur ijs, qui stipendia Missarum reliquerunt: unde pie ac probabiliter creditur ita facere.

DISPUTATIO LXXXVII.

De ministro ad sacrificium necessario, eiusque obligatione.

Sacerdotes sunt proprii ministri huius sacrificij.



Xplicuimus obligationes omnes, pertinentes ad sacerdotes, qui sunt proprii ministri huius sacrificij: quia vero ipsi etiam indigent aliquibus, vel saltem aliquo sibi in hoc ministerio deferuente (quod etiam inter caeremonias Missæ ab aliquibus computatur) ideo de huiusmodi ministro duo breuiter videnda sunt. Primum, quanta, & qualis sit eius necessitas: deinde, quanam obligationes ad illum pertineant.

SECTIO I.

Virum ad sacrificium Missæ peragendum, vnum aut plures ministrantes necessarij sint.

Sother.

Anaclet.

Microl. Burch. Con. Nann.

VValfrid. Strab.

Conc. Mog.

Ratio difficultatis est, quia Sother Papa, ut Gratianus refert, in cap. Hoc quoq; de Consecr. distinctione 1. præcepit, ut nullus Presbyter Missarum solemniter celebrare præsumat, nisi, duobus presentibus, sibiq; respondentibus: quod etiam præcepisse Anacletum, colligi potest ex eius epistola 1. vbi de sacerdotibus agens, sic inquit: Ipsi, quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis, probentur. Et postea de Episcopo addit, ut plures testes adhibeat, quam alius sacerdos, ut refertur etiam in cap. Episcopus de Consecr. d. 1. Unde præceptum hoc ex Sothero, & Anacletro, refert Microl. de rebus Eccles. cap. 2. & simile refert Burch. lib. 3. cap. 68. ex Concil. Nanneten. cap. 30. Et ratio, quæ ex his decretis sumitur, est, quia sacerdos in Missa sæpe loquitur cum multis, ut, cum dicit, Dominus vobiscum, &, Orate fratres, Benedicat vos omnipotens Deus, & quod difficilius est, sæpe Canon facit mentionem plurium offerentium & circumstantium, imo & communicantium, ut patet ex illis verbis, Quotquot ex hac altaris participatione sumpsimus, omni benedictione cælesti, & gratia repleamur. Unde VValfrid. Strabo, libro de rebus Eccles. cap. 22. illam dicit esse legitimam Missam, in qua adsunt sacerdos, respondens, offerentes, & communicantes. In contrarium vero est Ecclesiæ consuetudo, quæ receptum est, ut sæpe Missæ dicantur, vno tantum assistente, & respondente. Unde in Concil. Mogunt. I. cap. 43. solum requiritur, ut Presbyter non celebret solus, quamuis eadem ratio supra tacta ibi adiungatur, scilicet, nam, quomodo dicit, Dominus, vobiscum, sursum corda, & alia similia, cum alius nemo cum eo sit.

In hac re possunt esse duæ extremæ sententiæ. Prima est hæreticorum huius temporis, qui grauitè reprehendunt Missas solitarias, quas vocant, seu priuatas, & præsertim eas, in quibus nulli communicant præter sacerdotem. Fundanturque in exemplo cœnæ Dominicæ; Christus enim, multis assistentibus hoc sacrificium perfecit, & simulsumpsit, & distribuit omnibus, qui præsentès aderant, & subiunxit, (Hoc facite:) ita ergo ex ordinatione illius peragendum est: Secunda sententia esse potest, Missam posse

celebrari sine vilo ministro: quia iure diuino hoc non est prohibitum, neq; iure etiam Ecclesiastico constitat in hoc aliquid esse præscriptum. Nam illa iura Põntificia antiquata sunt, ut videbimus. Concilium autem Moguntinum Provinciale est, unde non potest generalem obligationem inducere: neque ratio eius videtur conuenienter adiungenda: alias etiam sacerdos non posset Ecclesiasticum officium dicere sine ministro, quia etiam dicit, Dominus vobiscum. Respondent aliqui, non esse simile, quia, quando sacerdos solus recitat, non debet dicere, Dominus vobiscum, sed, Domine exaudi orationem meam. Ita Durand. li. 2. de Ritib. Eccles. cap. 15. qui falso in eandem sententiam citat Durand. li. 4. Ration. c. 14. & reuera est fallax sententia, ut docet Nauar. lib. de horis canon. c. 22. & multo antea significauit Petrus Damian. in epist. supra citata, de Dominus vobiscum: & conlat satis ex vsu Ecclesiæ. Adde, etiam esse alia verba in canonico officio, quæ videntur requirere plures assistentes, vel saltem ministrum respondentem, quæ nihilominus dicuntur à sacerdote, dum solus recitat, ut, Oremus, Benedicamus Domino, &c. Ergo idem potest in Missa fieri.

Dico primo, circa hoc nihil esse iure diuino præceptum, aut prohibitum. Hæc conclusio ex parte de fide est, & quoad omnia videtur mihi certa. Quod enim iure diuino non sit præceptum, ut quoties Missa offerretur, & Eucharistia consecratur, assistentibus distribuatur, in superioribus late probatum est: vbi etiam è conuerso ostendimus, non esse præceptum iure diuino eis, qui Missæ assistunt, ut in ea communicent: hæc enim duo correlatiua sunt: nec posset vnum sine alio præcipi. Videantur supra dicta, ne eadem repetantur. Deinde est etiam de fide, non esse iure diuino præceptum, ut Missa coram multis ministrantibus, & assistentibus dicatur, & non possit cum vno solo dici: hoc etiam probat satis vsus Ecclesiæ, qui, cum sit fere vniuersalis & ab Ecclesiâ generaliter approbatus, non potest errore contineri: nõ est ergo contra diuinam prohibitionem. Neque existimo hanc consuetudinem esse parum antiquam, quæ iam id significet Ordo Cameracensis in expositione Canonis, dicens. Cum primitus Missæ sine collecta non fierent, postea mos inoleuit Ecclesiæ solitarias, & maxime in Cœnobijs fieri Missas. Nihilominus tamè huc morem esse valde antiquum colligi potest ex Greg. li. 4. epistolularum, capitul. 43. alias 87. vbi prohibet, Missas publicas fieri in quodam monasterio, Ne in feruarum Dei secessibus, popularibus occasio præbeatur villa conuentibus: simile quid habet, libr. 5. epist. 46. alias capit. 146. vbi prohibet, Missas publicas in quodam loco celebrari, vbi tamen Missam fieri permittit idem, libr. 7. epist. 71. & lib. 8. epist. 3. quibus locis, etiã facit mentionem Greg. priuatorum oratoriorum, in quibus Missæ dici solebant, non tamen publice, ne cui populi concursu fierent: & homil. 37. in Euangel. refert, Casium Narniensem Episcopum, aliquando in priuato oratorio celebrasse, quod ad Ecclesiã ire non valeret, Augustin. etiam 22. de Ciuit. cap. 8. meminuit cuiusdam Missæ priuatim dictæ in priuato loco, & de S. Gregorio Nazianzeno refert Sozomenus lib. 7. historię capit. 5. sacrificare solitum in exiguâ cellula in priuato oratorio: & Niceph. lib. 8. cap. 31. ait, Lucianum Martyrem sacrificasse in carcere, & suo pectore pro altari vsu esse, cum iaceret onulus carceris. Constat autem ad hæc loca, & in huiusmodi sacrificijs, non potuisse audientium seu ministrantium multitudinem congregari. Item de Consecr. dist. 1. in c. Et hoc refertur ex Aug. Vt Missæ peculiare, quæ diebus solènis sunt, nõ ita publice fiant, ut propter eas populus à publicis Missarum solènis abstrahatur. Deinde probatur ratione: quia nulliibi tale præceptum diuinum habetur scriptum, neq; ex traditione colligitur, sed potius contrarium, ut ostensum est. Neque ex factis Christo; tum quia, ut sæpe dictum est, non omnes

circumstantiis illius facti posita sunt in precepto: etiam quia aliter oporteret, ut minimum, duo decim personas Missæ astare, quia Christus coram totidem celebratur: & eadem ratione oporteret non plures adesse, quæ constat factis esse absurda. Vnde etiam sumitur argumentum; quia non potest, vel apparenti argumento, designari numerus altantium, vel ministrantium, qui ex iure diuino necessarius sit ad Missam dicendam, ita ut cum minori licite fieri non possit: ergo signum est, nullam multitudinem esse necessariam. At vero, quod neq; vnus minister, qui sacerdoti inferuiat, necessarius sit iure diuino, non est ita de fide certum, ut oppositum asserere, hæreticum sit, vel erroneum: quia non est eõtra vllam definitionem, aut traditionem Ecclesiæ: imo, cum factum ipsum sit consentaneum cõsuetudini, & præcepto ecclesiæ, vt inf. dicam, non est, cur sit erroneum, dicere ex diuino iure mansisse. Nihilominus tamẽ ex illo hoc esse omnino falsum, & conclusionem positã, etiam quoad hanc partem, esse verissimã: quia in Scriptura nullum est fundamentum huius diuini iuris, vt constat ex argumẽto factõ: neq; etiam in traditione, quia nulla est huius præcepti mentio in antiquis Patribus, imo de illis Missis, quæ priuatim fiebant à Sacerdotibus antiquis, vel in oratorijs, & solitarijs locis, vel in cryptis, aut carceribus non constat, vtrum aliquem ministrum in eis haberent. Præterea nulla est sufficiens ratio ad fingendum huiusmodi præceptum diuinum: nam, si ratio sacrificij secundum se consideretur, non repugnat à solo sacrificante fieri, vt ex supra dictis constat, neq; in hoc excogitari potest aliqua intrinseca malitia: si vero consideretur peculiaris institutio huius sacrificij, tota substantia eius potest fieri à sacrificante sine vllõ ministro: imo & interdum fieri potest cum debita reuerentia, quæ per se non pendet ex alterius ministerio: ergo non est, cur fingatur tale præceptum iure diuino latum.

Notabile.
Auctoritas
Iussum.

Conclusio.

Conc. Trid.

Quor. qui
vult, modo
dici solent
Missæ, cum
priuatæ, etiam
publicæ.

Dico secundo iure Ecclesiastico necessarium esse, per se loquendo, saltem vnum ministrum præter Sacerdotem sacrificantem, non tamen plures, nisi in Missis solemnibus. Hæc est communis sententia auctorum, quos statim referam: Ad quam explicandam est in primis supponenda illa distinctio Missæ, in solemnem seu publicam: & particularem seu priuatã. Quibus vocibus caute hoc tempore vtendũ est, propter hæreticos, qui Missas priuatãs damnant, eas aut præcipue vocat priuatãs, in quib. nemo præter sacerdotem communicat sacramentaliter: quorũ sensum damnans Concil. Trid. sess. 22. c. 6. & can. 8. dicit, Has Missas communes censendas esse: partim, quod in eis populus spiritaliter comunicet, partim vero, quod à publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrantur: quæ posterior ratio vniuersaliõr est, semper enim Sacerdos offert, Ecclesiæ nomine, vt publicus Legatus pro toto orbe, vt ex canone Missæ constat: & ex Chrysolto. homil. 5. de verbis Iſaiæ, & 26. in Matth. & ex alijs multis supra adductis. Sed quamquam in hac verborum significatione hoc verum sit, tamen alijs rationibus constat, quãsdam Missas peculiare vel priuatãs dici, vt à publicis vel communibus distinguantur: sic enim interdum dicuntur Missæ peculiare, quæ iuxta propriam deuotionem dicuntur de aliquo Sancto, vel de Trinitate, & cetera. & non iuxta commune officium Ecclesiæ; & ita sumitur hæc vox in cap. Quidam laicorum de Celebrat. Missæ. & nunc communiter hæc dici solent, (Missæ votiuæ) distinguuntur quæ à Missis (de die) aut (de tempore). Alio modo dici solent Missæ priuatæ seu peculiare, quæ speciali intentione pro aliquo negotio, vel pro aliqua persona offeruntur, vt pro defunctis, pro Rege, fructibus, &c. à quibus non excluditur generalis oblatio, & deprecatio, hoc enim nunquam fieri licite potest, vt supra diximus: sed quia ex peculiari intentione pro aliqua re speciali fiunt, hoc Franc. Suarez Tom. 3.

titulo priuatæ dici possunt: & e contrario, iuxta absolute pro omnibus offeruntur sine peculiari applicatione dicuntur communes seu publicæ: quæ tamen vobis significatio ad præsens Institutum nil refert. Alio item modo, & satis iuxta vulgi consuetudinem, nunc dici solent Missæ publicæ seu solennes, quæ canuntur: priuatæ vero, quæ tantum recitando dicuntur: nam communiter cantus adiungitur propter populi frequentiam & solemnitate, & ideo, quando sine cantu dicitur Missa, per se non censetur requirere hanc populi frequentiam, & ideo priuatæ dicitur. Vnde ad hæc duo membra sic explicata potest facile applicari conclusio posita, quamuis, formaliter loquendo, si solam solemnitate cantus attendamus, nihil repugnet, Missam hoc modo cantari cum vno solo ministro, etiam si nulli alij assistant; quod, neq; per se malum est, neque aliquo iure Ecclesiastico reperitur prohibitum: imo in aliquibus paruis oppidis interdum ita fit, nec reprehensione dignum censetur quamuis. n. raro accidat, ad huiusmodi Missam aliquem populum nõ congregari, tamen, si id acciderit propter inertiam, aut occupationem, vel raritatem populi, non ideo male ageret sacerdos, suã solemnitate, quamnis in se est, adhibendo. Alio ergo modo dicitur Missa publica, quæ signo dato cum publica populi conuocatione in publico loco, & certo tempore ad populi conuentum destinato, fit: quomodo loquitur Gregor. citatis locis, & Augustin. in dict. cap. Et hoc attendendum. Et hæc quidem Missæ, quæ de se publicæ sunt, non tamen ita requirunt populi conuentum, vt, si forte esse deficiat, sine illo dici, aut fieri licite non possunt: quia licet populus, vel præcipiatur, vel inuiteretur, vt ad illas conueniat, tamen Sacerdos non prohibetur eas dicere, si per possibile, vel impossibile, populus aduenire negligat. Ex hoc ergo solo capite, non requiruntur etiam ad has Missas in rigore plures assistentes, vel ministrantes. Ad iungendum tamen solet in his Missis quædam peculiaris solemnitas, iuxta Ecclesiasticum ritum, iuxta quem dici solent cum Diacono, Subdiacono, Acolythis, &c. & hæc dicuntur proprie Missæ solennes, de quibus loquitur D. Thom. hic artic. 5. a d. 2. cum ait, Quod in solemnitate celebratione Missæ plures debent adesse: quod in sensu composito (vt sic dicam) est per se notum, quia de intrinseca ratione huius solemnitatis est pluralitas ministrantium: si ergo Missa debet esse solennis, necesse est, vt plures in ea ministrent. An vero necesse sit, Missam interdum fieri cum hac solemnitate, id quæri potest. Et dicendum videtur in primis non esse necessarium, ita semper fieri, vt constat ex usu Ecclesiæ, & ex factõ etiam Christi Domini: deinde satis esse consentaneum iuri etiam diuino, vt interdum ita fiat: non enim sine causa distincti Ordines instituti sunt, Diaconatus, Subdiaconatus, &c. sed, vt eorũ munera exerceantur: maxime autẽ exercentur in his Missis solemnibus. Item, hoc multum refert ad splendorem, & solemnitate Ecclesiasticorum officiorum, & ad maiorem reuerentiam huius sacrificij, & ad differentiam festiuitatum, vt cum maiori, vel minori pompa & solemnitate fiant: ac deniq; ad populi instructionem vel deuotionem excitandam. Vnde tandem concluditur, posse quidem alicubi esse obligationem aliquas Missas dicendi cum hac solemnitate, sed quia de hac obligatione non est vna generalis lex pro tota Ecclesia lata, in diuersis locis seu Ecclesijs, iuxta diuersas consuetudines aut peculiare leges, consideranda & seruanda erit talis obligatio: & ea supposita, in modo solemnitatis adhibendo, seruandus erit ritus ab Ecclesia institutus, iuxta ea, quæ in disp. 33. & 34. dicta sunt.

Iuxta hanc ergo acceptionem Missæ solennis seu publicæ, Missa priuatæ dicitur omnis illa, quæ cum prædicta solemnitate non fit: & hoc sensu intelligitur conclusio posita, quod in Missis priuatæ non requiratur pluralitas ministrantium, seu assistentium, etiã

Gregor.
Augustin.

D Thom.

Quæstio 10.
115.



proprie dici necessitas, sed voluntas: nemo autē potest sua voluntate instituire talem viuendi modum, in quo, præter communem Ecclesiæ consuetudinē, & contra ordinariam legem, celebraret: vero, si necessitatis casus fortuito & extraordinarie accidat, probabile existimo, posse hoc fieri sine culpa: quia auctoritas prædictorum auctorum facit rem moraliter probabilem. Item, quia hoc præceptum solum fundatur in Ecclesiastica consuetudine, quam merito interpretari possumus, extra articulum necessitatis. Ad diuero Soto, consultius esse, nō ita celebrare propter cuiuscunq; festi necessitatem, sed propter festum magnæ solemnitatis: quod quidem ego ita cōsulerem, sed nō damnarem peccati mortalis eum, qui in quocunq; festo id faceret. Vnde fit, multo magis hoc licere propter periculum mortis ad sumendum viaticum, vel ad dandum illud alteri, & sic de alijs similibus. Ac denique addendum censeo cum Soto supra, si in huiusmodi casu necessarium sit, aut solum ministrare, aut feminam adiutricem habere potius esse celebrandum sine ministro, quam cum femina ministrante, tum quia hoc expressius est iure prohibitorium, & de se videtur esse quid indecentius, magisq; vitandum.

Potius celebrandum est sine ministro, quam cum femina ministrante.

SECTIO II.

Ad quid obligetur is, qui sacerdos in sacrificando ministrat.

Offerebat se hoc loco iterum tractandus error hæreticorum huius temporis, dicentium teneri huiusmodi ministrum ad participandum de hoc sacrificio, seu ad communicandum? Sed nihil noui occurrat dicendum contra hunc errorem: quia non est specialis ratio de hoc ministro magis, quam de alijs, qui Missæ assistent: quia nullo iure, neq; diuino, neq; Ecclesiastico, ostendi potest, maiorem obligationē habere in hoc ministrantes, quam assistentes: neq; aut ex natura rei & communi lege sacrificij, aut ex peculiari institutione huius sacrificij. Vnde Concil. Tolet. XII. can. 5. de solo sacrificante dicit, Quale erit sacrificium, cui neq; ipse sacrificans participare dignoscitur? Omissio ergo hoc errore, de quo plura videri possunt in Bellarmino, libro secundo de Miss. capit. 9. & 10. vt certum supponimus, non teneri huiusmodi ministrum ad communicandum in Missa, cui ministrat. Vnde vix potest aliqua specialis obligatio, vel aliquod speciale præceptum assignari his ministris iure positio impoſitum: sed solum illud, quod naturale est, vt vnusquisque in assumpto munere, debito modo atque integre ministret. Vt autem hoc distinctius exponamus, distinguere possumus, iuxta diuisionem supra datam de Missa solemnī & non solemnī, duplex ministerium, seu duplicē ministrum Missæ. Vnus est, qui ex officio ministrat, ratione Ordinis, quo ad tale ministerium cōsecratus est, vt Diaconus, Subdiaconus, & inferiores clerici. Alius est, qui solum ministrat vt laicus, priuatim inferuiens, & nomine populi respondens.

De priori ministro ex officio multa possent hoc loco tractari, quæ partim ex materia de Ordine pendunt, partim ex his, quæ dicta sunt de officio sacerdotis, seruata proportione, definiri possunt: & ideo breuiter ea attingam, & remittā. Primum enim inquiri potest, an huiusmodi clerici seu ministri teneantur interdum suum ministerium exercere, solemniter ministrando? nam ex ijs, quæ dicta sunt de obligatione sacerdotis ad sacrificandum, existimare quis posset eodem modo obligari inferiores clericos ad sua ministeria aliquando exercenda, quia ministerium datur propter vsum eius: & Ordo seu consecratio ad aliquam actionem, propter actionem ipsam. Dicendum vero est, moraliter loquendo, nullam esse huiusmodi obligationem, neque ex diuino iure, neque ex Ecclesiastico: nullibi enim scriptū extat tale præ-

Fr. Suarez Tom. 3.

ceptū: & Ecclesiastica consuetudo docet, neq; traditione haberi: quia vsus Ecclesiæ est, vt multi ex his inferioribus clericis nunquam hæc ministeria exerceant; quod ab eis omittitur siq; vilo scrupulo peccati: & ratio est, quia hæc ministeria non sunt adeo necessaria in Ecclesia, vt oportuerit absolute præcipi: in quo multum differit à sacrificio, quod est proprium ministerium sacerdotis: & in eo etiam, quod sacerdos habet supremum & absolutum ministeriū in suo ordine: reliqui vero inferiores solum habent ministerium in ordine ad ipsum sacerdotem: & ideo non est necesse, vt absolute obligentur, sed satis est, vt parati sint ad ministrandum, quando Ecclesia suo ministerio indigerit, vel quādo sacerdos, vel superior potestatem habens, imperauerit: aut denique, quando alio titulo beneficij vel consuetudinis tale munus ad eos pertinuerit. Deinde inquiri potest, supposito quod huiusmodi ministri, siue voluntarie, siue ex obligatione solemniter ministrent, quid obseruare debeant vel teneantur in huiusmodi ministerio? In quo dicendum est, teneri ad ea obseruanda, quæ iuxta ritum ab Ecclesia instituta sunt, prout in Missali, vel Pontificali Romano habentur, sicut de sacerdote dictum est: omnia enim, quæ de illo dicta sunt, hic possunt cum proportione applicari. Itaq; vt debent vestibus sacris ab Ecclesia institutis in suo ministerio; seruare etiam debent ceremonias omnes, tam in verbis, quam in actionib. consistentes, quæ ad illos pertinent; peccarentq; hæc leuiter omitteudo, vel negligenter aut irreuerenter tractando, secluso autem contemptu & scandalo, raro erit in hoc graue peccatum: quia vt ministerium hoc minus principale est, & accidentariū in officio Missæ, ita materia huius defectus communiter non apparet admodū grauis: interdum tamen esse potest, si, aut redundet in aliquam irreuerentiam graui ipsius sacramenti, aut si eam ob causam aliquid omittatur, quod licet accidentale sit, tamen maioris momenti in Missa censetur, vt, si ob negligentiam Diaconi ministrantis calicē, multo aquæ omittitur: aut si Subdiaconus vellet in Missa ministerium Diaconi vsurpare, nolletq; epistolam dicere, aut aliquid huiusmodi. Tandē inquiri posset, an teneantur hi, præsertim Diaconus & Subdiaconus, disponi ad gratiam, vt digne solemniter ministrent? sed hoc sufficienter attingimus supra, tractando de sacramentis in genere, & de dispositione, quæ ad illa ministranda requiritur.

De alio ministro, qui absque vlla solemnitate vel consecratione Missæ inseruiit, solum necesse est, vt duo obseruet. Primum, vt iuxta ritū ab Ecclesia præscriptum respondere sciat, atque respondeat: quia alioqui male faceret, vsurpando ministerium, quod non potest nisi ineptissime præstare. Item quia, si non rite respondeat, reuera non erit minister. Vnde perinde erit, quoad hanc partem, cum illius præsentia, ac sine ministro, sacrificare. Sed quæres, an in casu necessitatis, quādo nullus adfit, qui respondere sciat, possit sacerdos vt aliquo, quem ipsemet sacerdos in eadem Missa ad respondendum instruat, præeundo, seu verba responsionū simul cum illo dicendo? Respondet, si tanta sit necessitas, in qua liceat etiam sine ministro conficere, non est dubium, quin hoc etiā liceat: imo, ceteris paribus, potius esset vtendum huiusmodi ministro, quam omnino sine ministro celebrandum, quia hoc modo minus violatur, etiam materia liter, Ecclesiastica consuetudo & præceptum. Vnde consequenter existimo, minorem necessitatem sufficere ad vtendum huiusmodi ministro, quam ad celebrandum omnino sine ministro: sine aliqua tamen legitima causa, & magna indigentia ministrorum, non est hoc faciendum: quia est minus decens, & valde alienum à consuetudine Ecclesiæ, & à ritū eius, ad quem spectat, vt sacerdos ea tantum profert, quæ sui muneris sunt, & alio respondete, taceat.

xxxx 3 Secun-

Aliud quæsitum.

Responsio.

Dubiosum.

Dubiosum.

Responsio.

Autheria sententia.

Secundo tenetur hic minister actiones ad se pertinetes ea diligentia, & animaduersione tractare, vt eius occasione nullus defectus in Missa committatur: hoc constat, quia haec obligatio ex natura rei sequitur, supposito vltu talis ministerij: quoniam alias talis defectus merito ipsi ministro, & negligentiae eius tribueretur: vt, si, dum ampullas ministrat, loco vini afferat aquam vel aliquid huiusmodi: quod tale est, vt, si voluntarie fiat, grauem culpam contineat: regulariter vero excusantur huiusmodi ministri à graui culpa, quando aliquid simile committunt ob naturalem inadvertentiam: quoniam vero saepe contingit, huiusmodi ministros, aut non esse satis instructos, nec posse omnino sufficientes, nec perfecta ratione videntes, vt in villis, seu paruis oppidis saepe accidit: & ideo tunc maxime debent sacerdotes ipsi vigilare, ne aliquis defectus eorum occasione committatur. Alia, quae ad huiusmodi ministros pertinere possunt, cõmunia sunt ceteris, qui Missam audiunt, scilicet, quod reuerenter & attentè assistant, ac familia: an vero huiusmodi minister peccet, ministrando sacerdoti peccatori, in superioribus tractatum est, agendo de indignis ministris sacramentorum.

DISPUTATIO LXXXVIII.

De precepto audiendi Missam.

D. Thom.



Quaestio materia huius disputationis ad tertium Decalogi præceptum pertinere videatur, de quo tractat D. Thomas 2. 2. q. 122. art. 4. quoniam præcipua pars sanctificationis fœtorum, prout in Ecclesia obseruatur, in Missa auditione posita est: nihilominus nõ potuit in presentia omnino prætermitti: quoniam ad integrum actus completum Missæ tractatum necessaria est. Diximus enim in superioribus, quãuis sacerdos sit, qui proprie ex officio offert hoc sacrificium Missæ, ceteros tamen, qui assunt etiam suo modo per illum offerre: & ideo, sicut de sacerdotibus diximus, quando, & quomodo offerre teneantur, ita etiam de ceteris offerentibus, qui Missæ assunt, id explicare necesse est: præsertim, quia cum dictum sit de sacerdote offerente, & ministro adiuuante: oportet etiam de assistentibus dicere, & de eorum obligationibus: nam in ceteris, qui remote dicuntur offerre, nulla specialis obligatio considerari potest: ad assistentes autem proprie pertinet præceptum de Missa audienda. De quo primo videndum est an sit: deinde quomodo sit implendum, & quæ possint ab illius obseruatione excusare.

SECTIO I.

Utrum sit in Ecclesia præceptum de Missa audienda.

Non desuerunt, qui huiusmodi præceptum esse negarent, quam opinionem aliqui tribuunt Angelo, verb. Feræ, numer. quadragesimo secundo, qui citans Richard. quod lib. 1. quaest. 19. negat, omissionem Missæ in die festo esse peccatum mortale, nisi ex contemptu formali vel virtuali fiat. Quod etiam affirmavit Sum. Rosel. verb. Missa, & Turcrem. in capit. Missas de Confec. d. 1. vocant autem contemptum virtualem, quando quis absq; vlla legitima causa assuescit omissioni Missæ in prædictis diebus. Sed hi auctores non omnino negant præceptum, sed male illud declarant.

Cõclusio.

Dicendum est ergo, esse in Ecclesia præceptum impositum fidelibus audiendi Missam certis diebus, quos festos appellamus, quod inferius declarabimus. Hoc est de fide certum, absolute loquendo, quamuis Soto in 4. dist. 13. quaest. 2. art. 1. in fine solum dicat, qui negaret hoc veritatem, puniendum esse, tanquã

suspectum aduersus sancta mandata. Probatur autem conclusio: Primo ex multis decretis, quæ habentur de consecrat. dist. 1. capit. Missas. capit. Omnes fideles, & alij, quæ in sequentibus afferemus, in quibus expressè proponitur, quod ex vi & proprietate sua necessitatem inducit, vt Augustin. air lib. de Sancta Virginitate, capit. 14. & 15. Secundo ex vtu & consuetudine Ecclesiæ: nam inter prima fidei rudimenta hoc præceptum tertio loco inter Ecclesiastica numeratur: & ita est communi sensu omnium Catholicorum receptum. Tertio ex communi Doctõrum omnium consensu, D. Thomæ, citato loco, Soto 2. de Iust. dist. 4. art. 4. & in 4. dist. 13. vbi supra, & ibi Paludan. q. 13. & Summistarum omnium, verb. Missæ, Palud. verb. Feræ, & verb. Fœtor. obseruatio. Nauar. dist. 2. lib. de leg. pen. cap. 5. & vltim. & aliorum Canonist. in dictis capitibus de Consecr. dist. 1. Quarto accedit congruentia: nam illi dies deputati sunt ad diuinum cultum: & ideo, sicut aliquibus illis diebus ab Ecclesia prohibetur, quo possint homines expediti esse ad vacandum diuinis rebus, ita etiam aliquid positum præcipi oportuit, quo fideles eisdem diebus Deum colerent, sed nihil accommodatius præcipi potuit: quam vt Missa assisterent, in qua supremus Dei cultus exterior continetur.

Hinc autem oritur quaestio, an hoc præceptum mere Ecclesiasticum sit, vel aliquo modo ex naturali, aut diuino iure descendat. Respondeo, supposita institutione huius sacrificij (nam sine illa, constat nullum posse esse huiusmodi præceptum) præceptum hoc esse valde consentaneum iuri naturali. Primo quod, quia præceptum sacrificandi quodammodo est de iure naturæ: & ideo apud omnes etiam Gentes seruatum est, vt omnes, qui ad aliquem populum vel Republicam pertinent, aliquo modo & aliquibus diebus congregentur & conueniant ad colendum Deum eo ritu sacrificandi, quem vnaquæq; Republica proficitur, nam, sicut sacrificium est commune & publicum cultus, qui nomine omnium offertur, ita etiam ratio ipsa postulat, vt omnes aliquando assistant, suumq; consensum, & cooperationem, quo modo possunt, præbeant. Secundo, quia, sicut cultus externus Dei est de iure naturæ, ita etiam, quod tempus aliquod ad hunc cultum deputetur, ad ius naturæ pertinet, quãuis huius vel illius diei designatio sit de iure positivo, vt D. Thomas dicit. art. 4. ad 1. docet, & omnes D. Thomæ cum illo, hoc autem naturale ius optime inuestitur, deputando aliquos dies ad colendum Deum per Missæ sacrificium, ei assitendo: hoc ergo modo dicitur originem hoc præceptum à iure naturæ. Et eadẽ ratione est valde consentaneum iuri diuino: nam Deus præcepit ac voluit, se coli in Ecclesia Christi hoc genere sacrificij, iuxta illud, Hoc facite: ergo valde consentaneum huic præcepto est, vt omnes fideles obligentur ad colendum Deum aliquando hoc sacrificio, vniquisq; eo modo, quo potest: ergo, vel offerendo, vel saltem assitendo. Imo, si factum Christi cõsideretur, probabiliter intelligi potest verbum illud, Hoc facite, ita vt hoc totum comprehendat, nõ ibi, & Christus sacrificauit, & discipuli altiterunt sacrificio: ergo Christus præcipiens, vt id fieret in Ecclesia, voluit & à sacerdotibus offerri, & vt fideles etiam aliquando assisterent: quamuis enim ex illis verbis non colligatur, necessariam esse presentiam populi, vt hoc sacrificium offeratur, neque teneri populum toties huic sacrificio assistere, quoties ipsum offertur: colligitur tamen probabiliter, teneri populum aliquando assistere huic sacrificio ad memoriam passionis Christi recolendam, & per eius repræsentationem, realemque ipsius Christi presentiam & oblationem, Deum colere, deprecari, etque profusè beneficijs gratias agere. Sed, quamuis hæc, quæ probabilia sunt, non cogat, vt simpliciter asseramus, præceptum

ceptum hoc audiendi Missam, etiam in communi sumptum, esse de iure diuino, satis ad rem moralem est, quod fit illi valde consentaneum, licet absolute Ecclesiastica tatum sit: non est enim dubium, quin possit Ecclesia in tali materia ad diuinum cultum ad eo pertinente, & ad spiritualem fructum fidelium vtilissima, praeceptum ponere, etiam si diuino iure latum non sit.

Corollarium. Atq; hinc sequitur primo, praeceptum hoc inducere grauem obligationem, ita vt illud transgredi omnino, vel vno tantum die, pro quo obligat, sine vlla legitima causa excusante, peccatum mortale sit, etiam si non ex contemptu, iuxta interpretationem Angelij, & Richardi, sed ex mera voluntate, aut negligentia, & recordia culpabili, vel ex affectu ad aliam actionem, aut alio simili modo voluntarie omittatur. Ita sentiunt omnes auctores supra citati: quia materia ex suo genere grauis est, cum ad cultum diuinum pertineat: & in particulari integra Missa, vel eius omisio etiam est res factis grauis: non ergo solum ex assidua omisione sit haec culpa mortalis: sed etiam ex ingulis actibus, seu omisionibus integris: omisio enim alicuius partis potest esse tatum venialis culpa, vt infra dicemus. Et confirmatur: nam, si quis voto se obligaret ad audiendam Missam vno die, & id omitteret, peccaret mortaliter. Sed non minus obligat Ecclesiae praeceptum, quam votum proprium: neque est minus grauis auditio Missae respectu praecepti, quam respectu promissionis. Itē, transgressio ieiunij Ecclesiastici vnius diei est peccatum mortale. Itē in sacerdote omisio officij canonici in vno die est mortale peccatum: sed non est res minus grauis oblatio sacrificij, & auditio Missae: ergo pro singulis diebus seu vicibus obligat hoc praeceptum sub mortali. Et hic iam est omnium fidelium sensus. Intelligentum est autē, hanc culpam esse mortalem ex suo genere, nam ex accidente potest esse, vel venialis, vel nulla. Idq; dupliciter ex capite: primo ex parte materiae; si non tota Missa, sed aliqua pars eius omittatur: quae autem, & quanta haec sit, infra declarabitur, secundo ex parte operantis: quia, scilicet, ex naturali inaduertentia, vel ignorantia culpabili, vel saltem non grauius culpabili, omittit: vt, si habens animum audiendi Missam incipiat actione aliqua occupari, & postea adeo obliuiscatur, vt prius, quam aduertat, elapsum sit tempus commodum ad Missam audiendam: tunc enim excusatur a culpa non solum, si actio illa, in qua occupatur, sit diuina sit & honesta, vt quidam putant, sed etiam si sit cuiuscunq; ordinis: quia illa non excusat, eo quod bona vel mala sit, sed propter inuoluntarium, quod occasione illius accidit, per inaduertentiam omnino naturalem, & nullo modo praeuisam: supponimus enim, actionem illam de se non esse talem, quae morale periculum asserat illius obliuionis, vel omisionis, vel saltem, quod tale periculum non sit praeuisum, neq; animaduersum: quod commune esse potest, tam actioni male, quam bonae. Similiter (ait Caietanus verb. Festorum violatio) si quis absq; sufficiente causa omitat sacrum in die festo, bona fide putans causam esse sufficientem, cum reuera non sit, excusari potest a culpa, vel saltem a mortali: & idem notat Nauar. c. 21. n. 14. quod generale est omnibus peccatis, vt constat ex materia de conscientia, & notat idem Nauar. c. 23. n. 42. est autem difficile, in particulari iudicare, quando haec ignorantia sit, nimium, vel leuiter culpabilis: non enim semper haec existimatio excusat: si temere habeatur, vel si quis negligat interrogare, cum dubitat, & potest: sed considerandae sunt circumstantiae, & conditiones personae, & praesertim, an bonam illam fidem simpliciter, & sine hesitatione habuerit, nam tunc ordinarie est inuincibilis, & excusatur, saltem a culpa graui.

Notabile.

Caietan.

Nauar.

Aliud corollarium.
2. Angeli opinio reuocatur.

Secundo sequitur ex dictis, falso dixisse Angelum, dicto verb. Feria, num. 45. si quis non possit in die festo simul Missa & praedicationi interesse, potius debere Missam, quam concionem omittere, si alterutrum audire possit. Sed errat grauius, quia audire Missam est in praecepto: audire autem concionem non ita: ergo per se loquendo, praeferenda est Missa concioni. Dico autem, per se, quia in aliquo raro casu, si quis non possit in fide instrui, aut ab haereticis defendi, nisi audita concione vel instructione alicuius Doctoris, seu concionatoris Catholici, possit interdum in ea occasione excusari ab obligatione audiendi Missam, sicut potest excusari propter alias causas minus etiam graues & necessarias, vt infra videbimus.

tere Missam, quam concionem omittere, si alterutrum audire possit. Sed errat grauius, quia audire Missam est in praecepto: audire autem concionem non ita: ergo per se loquendo, praeferenda est Missa concioni. Dico autem, per se, quia in aliquo raro casu, si quis non possit in fide instrui, aut ab haereticis defendi, nisi audita concione vel instructione alicuius Doctoris, seu concionatoris Catholici, possit interdum in ea occasione excusari ab obligatione audiendi Missam, sicut potest excusari propter alias causas minus etiam graues & necessarias, vt infra videbimus.

Tertio sequitur, posse pontificem in hoc praecepto dispensare, cum Ecclesiasticum sit, quamuis talis dispensatio non videatur esse in vsu, quia vix potest esse necessaria, aut conueniens. Dispensare enim cum aliquo, vt nunquam in tota vita Missam audiat: si nollet, etiam si possit, neq; vlla rationabili causa impediatur, non potest esse expediens: talis enim dispensatio non esset in aedificatione, sed in destructione, & aliquo modo repugnaret iuri, & cultui diuino: dispensare autem, vt interueniente aliquo impedimento, Missa possit sine culpa omitti, moraliter necessarium non est: quia, si tale impedimentum rationabile sit, per se sufficit ad excusandum, vt infra videbimus: imo tot sunt haec impedimenta, tamq; ampla facultas in hac re conceditur ab authoribus, vt aliam praeter illa, omnia in hac re desiderare, ab animo fideli & religioso videatur alienum: ac propterea haec dispensatio, neq; in vsu est, neq; expedit eam esse.

SECTIO II.

Quae sit materia huius praecepti, sed quid intelligatur nomine Missae, quae audiri praecipitur.

Missae, vt supra vidimus, diuidi potest in Missam catechumenorum, & fidelium, & ex vtraq; constantem. Item, in solemnem, seu quae cum cantu dicitur: & priuam, seu quae tantum recitatur. Item, in Missam votiuam, & de die: & de his omnibus dubitari in praesente potest, quam Missam vnusquisq; audire teneatur, vt huic praecepto satisfaciatur.

*Disposio-
Missae assu-
gnantur.*

Et quidem circa primam diuisionem certum in primis est, praeceptum hoc obligare fideles ad audiendam totam Missam, a principio vsque ad finem, vt constantem ex Missa Catechumenorum & fidelium. In hoc omnes Doctores conueniunt, & probatur sufficienter ex cap. Omnes fideles, de Consecrat. dist. 1. Omnes fideles, qui conueniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, vt Scripturas a Apostolorum, & Euangelium audiant, qui autem non perseuerant in oratione, vsq; dum Missa peragatur, conuenit communi priuari. Et in c. Missas, sic dicitur, Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine praecipimus. Verum est in aliquibus antiquis codicibus deesse in Conc. Agat. c. 47. particulam illam, totas, tamen in Concilio a Surio editis non deest, & in Decreto Greg. nihil circa hoc notatur, quod est signum, iudicatum esse, illam particulam ita fuisse in vero originali Concilij, sicut a Gratiano posita est: vnde in eodē extu, & in c. Cum ad celebrantes, eadem distinctione, prohibetur fidelibus, ne ante completam Missam sollemnitate, & benedictionem Sacerdotis, discedant: Et in hoc sensu intellectum est, & receptum hoc praeceptum communi sensu, & consuetudine totius Ecclesiae, quod ita etiam obseruandum declaratur in Concilio Colon. l. part. 7. cap. 26. in 1. Tom. Concil. Quocirca, quod in praedicto canone dicitur, debere fideles Missas totas audire, quamuis distributione accommodata sufficienter intelligatur, vt vnusquisque Missam integram audiat: nullus enim tenetur plures audire, sed vnam tantum, vt infra dicam: tamen, si etiam ad singulos velimus Missas in plurali referre, recte etiam intelligi potest, debere vnum-

*Circa primam
diuisionem
quid certum.*

*Concil. Co-
loh. 1.*

XXXX 4 quinq;

quemque fidelium audire integras Missas catechumenorum & fidelium: sic enim totum Missae officium dici solet, Missarum solemnitas seu celebratio, ut patet ex capit. Quoque. capit. Cum ad celebrandas, & alijs eadem distinctione. Ratio autem huius conclusionis nulla alia est, nisi quia ita praecipuum est: fuit autem hoc valde conueniens, quia sicut institutum est ab Ecclesia propter reuerentiam sacramenti, propter instructionem & admonitionem fidelium, ut Missa sacrificium cum toto illo caeremoniarum apparatu fiat: ita merito omnibus fidelibus praecipitur, ut toti sacrificio, prout in Ecclesia fit, assistant.

Corollarium

Ex hac certa conclusione sequitur, non posse fideles voluntarie, & sine legitima atque excusante causa, omittere aliquam partem Missae, etiam minimam, sine culpa: quia, vel in toto, vel in parte, non adimplebunt hoc praecipuum. Item, quia Sacerdos voluntarie omitterens aliquam partem totius officij canonici, peccat, quia tenetur, officium illud integrum dicere ergo similiter, & c. Item, quia in die ieiunij nihil omnino comedi potest extra tempus praescriptum, sine culpa, seclusa rationabili causa excusante pro ratione materiae, quia illo praecipuum simpliciter prohibetur cibis: sed similiter in praesente praecipuum, licet affirmatiuum sit, tamen ob integritatem, quam praecipuum, includit negatiuum, scilicet, ut nihil de tota Missa omitteretur. Tandem, quia ideo in iure expresse cauetur, ut ante benedictionem Sacerdotis nullus discedat. Vbi obiter adnotari potest, cum nuper introductum seu ordinatum sit, ut post benedictionem Sacerdotis, intium Euangelij D. Joannis dicatur, fortasse non peccari venialiter, etiam si statim post datam benedictionem aliquis discedat, illo Euangelio non audito, quia iam seruat praecipuum, etiam iuxta tenorem, & verba legis: & quia illud Euangelium non videtur ad integritatem Missae pertinere: Nihilominus tamen hoc non est vulgari populo dicendum, sed potius reprehendendi sunt, qui hoc faciunt: nam reuera non id faciunt, quod per se loquendo, decet, & nonnullam inquietudinem ceteris commouent, quod maxime cauendum dicitur in dict. c. Omnes fideles. Ac denique satis probabile est, iam illud Euangelium esse partem totius officij Missae, & comprehendi sub illa particula (totas.) Quod autem in antiquis iuribus praecipiebatur fidelibus, ne discederent ante benedictionem, non materialiter, sed formaliter sumendum est, id est, vsque ad finem Missae, ideo enim tunc benedictionis mentio facta est, quia ibi Missa fiebat. Illud etiam hic adnotandum esse, quod Doctores aduertunt, eos qui Missae inseruiunt, quamuis aliquas eius partes non videantur percipere, vel audire, dum per Ecclesiam discunt, vel ad Sacellum accedunt, ut vinum, thus, aut similia ad Missam necessaria afferant, non tamen propterea esse censendos partem vllam Missae omittere, sed potius toti assistere, cum toti inseruiant, & ad hoc semper intendant. Ita Syluest. verb. Missa, 2. q. 1. Tabiena, verbo Missa, n. 10. Anton. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 1. Nauar. in cap. Quando de consecr. d. 1. notab. 10. n. 18. quod intelligendum est, dummodo bona fide procedant, & medietatem diligentiam adhibeant, ne plus iusto, & sine necessitate absint, aut in sacello vel alijs locis immorentur. Debent etiam non reseruare in illud tempus earum rerum preparationem, quae ante Missam praenitri possunt, ut in illo tempore solum his actionibus incumbant, quas solemnitas officij requirit, & quae antea commode praenitri non possunt: si tamen contingat alia etiam, quae praenitri poterant, ex obliuione vel incuria fuisse omissa, & inter Missarum solemnitas esse quaerenda, vel praeparanda, tunc licitum erit ob eam causam abesse, quia omnino expedit, ut ad integram Missae solemnitatem nihil desit: & minister excusabitur ratione iam dicta, quamquam si oportereet magnam partem Mis-

Adnotandum

sa omittere ex accidentali occasione, ut, verbi gratia, si deesset vinum, & extra Ecclesiam quaerendum esset, tunc teneretur aliam Missam audire, si posset, si autem non posset, excusaretur ratione iusti & debiti ministerij.

Notabile

Secundo sequitur, hanc culpam seu transgressionem, quae committi potest in omissione partis Missae, non esse semper aequalem, sed grauiorem aut leuiorem, iuxta quantitatem partis omittitae, & consequenter esse mortalem, si pars omittitae grauis est: venialem autem, si sit leuis, in quo etiam omnes Doctores conueniunt. Difficultas autem inter eos est in iudicio ferendo de parte, quae sufficit ad mortale peccatum, vel in qua omittenda solum venialiter peccatur. Videtur tamen in hoc conuenire, quod dimidia pars Missae, vel etiam tertia, sit grauis & sufficiens ad peccatum mortale, si tota omitteretur: & contrario vero partem maiorem quarta parte Missae ex his, quae accidentalia sunt, praesertim, si ex principio aut fine Missae sumatur, solum esse materialem venialis peccati. Vnde aliqui designant introitum Missae cum his, quae praecedunt, vsque ad Epistolam exclusiue. Alij ita videntur loqui Anton. Tabien. & Syluest. supra, Anton. non tamen satis explicant, apertius id declarat San. Tabien. d. 1. tractat. de officio Ecclesiae, part. 6. cap. 14. Alij Syluest. vero hoc extendunt vsque ad Euangelium exclusiue. Itaque, si ab initio Euangelij vsque ad finem Missae audiat, non peccabit mortaliter, quod expressius modernis declaratur, ut Sorod. d. 1. 13. quae 1. 2. art. 1. Nauar. cap. 21. num. 2. & c. Quando de Consecratione d. 1. notab. 10. num. 17. quia illa pars non dicitur cessare quarta parte Missae, nec notabilis. Intelligendum autem hoc est, dummodo Missam reliquam vsque ad finem audiat: nam, si quis in principio vsque ad epistolam inclusiue omittit, & postea, statim post communionem Sacerdotis, egredietur, nimia esset licentia, nec careret scrupulo peccati mortalis: oportet ergo, ut statim assitit vsque ad dimissionem populi, vel Sacerdotis benedictionem. Si autem quis a principio Missam audiat, & vsque ad communionem assitit, quamuis reliquam omitteret, non erit peccatum mortale, quia illa non est pars notabilis: imo, quamuis aliquid ex principio, & fine omitteret, poterit non esse mortale, si ex vtroque non consistat notabilis quantitas, ut, verbi gratia, si a principio epistolae, & vsque ad integram communionem Sacerdotis inclusiue assitit: quia epistola aequale re censetur orationibus, quae post communionem sequuntur.

Syluest.

Tabien.

Antonin.

Nauar.

Addit vero Nauar. quod, licet ab his offertorio, vel simbolo incipiat Missa assistere, satisfacere praecipuum, ita ut mortaliter non peccet, dummodo postea ea legat, vel sibi legi faciat Euangelium Missae. Sed in primis haec limitatio videtur impertinens, quia officio Euangelij extra Missam, neque est pars Missae, nec facit vnum cum illa, nec cadit sub hoc praecipuum: vnde impertinens est ad implendum illud, nam, si quis absque culpa ob impotentiam, initium Missae omitterat vsque ad Euangelium inclusiue non tenetur, postea ex vi huius praecipui ad legendum Euangelium, non enim est, vnde haec obligatio oritur, nec consuetudo id habet. Quapropter illa licentia nimia esse videtur, nam ex ea sequitur, posse totam illam partem omitteri absque peccato mortali, siue legatur postea Euangelium, siue non: quia, ut dixi, hoc est impertinens: consequens autem videtur absurdum, quia re vera illa est pars notabilis: nam, ut minimi est quarta pars Missae, quae pars in qualibet re exiimatur notabilis: & cum haec res sit moralis, non est amplianda. Posset autem haec opinio Nauari praesertim tolerari in alio sensu, scilicet, si is, qui Euangelium omisit, audiat totam Missam reliquam vsque ad Euangelium Ioannis inclusiue, nam illud Euangelium iam est aliquo modo pars Missae, ut supra dicebam: & alioqui est probabile, non teneri fideles ad audienda duo

Euange-

Euangelia, neq; ad alii sedum, nisi usq; ad dimissio- nem vel benedictionem: & ideo audiendo postre- mum Ioannis Euangelium, videtur posse compen- sari aliud Euangelium in principio omisium; & ita fati fieri precepto.

Vltimo deniq; circa hac aduertere oportet, in his partibus Missæ non tam esse considerandam temporis moram, quam dignitatē, & propinquitatem vel necessitatem ad substantiam sacrificij: & ideo autho- res facilius permittunt, omitti ea, quæ antecedūt, vel sequuntur canonem Missæ, in quo maxime necellaria sunt, quæ à consecratione vsq; ad cōsumptionem continentur: & ideo est valde probabile, non impleri præceptum, etiam quoad substantiam eius, si quid eo tempore omitatur vel intermittatur, etiam si tempus breue esse videatur, vt v. g. si quis egrederetur Ecclesiam, quando Sacerdos vult consecrare, & finita consecratione, statim ingrederetur, nā omitteret substantiam sacrificij: & idem fortasse esset, si ante communionem discederet: quia, vel est de substantia, vel maxime pertinens ad perfectionem sacrificij. Sed quamuis hæc tutiora sint, non est tamen semper scrupulus iniiciendus, quando tempus est admodum breue: dummodo consecratio & sumptio simul non omitantur: quia res hæc moraliter iudicanda est, & adhuc non satis constat, in quo præcise consistat substantia sacrificij.

Quæstio / a / i / u / s / i.

Sed quæres, quid agere debeat, qui aliquam partem Missæ omittit, vt culpam euitet. Respondetur, varijs modis posse hoc accidere: primo, vt pars illa non sit notabilis, & à principio inuoluntarie omnino omitatur, vt, si quis accedat ad Ecclesiam animo audiendi integram Missam, & casu inueniat aliquam inchoatam in orationibus, vel epistola, & illam audiat. Vel, si à principio eam audiuit, & postea, iusta aliqua orta occasione, cogitur discedere statim post communionem Sacerdotis: & in his casibus existimo non peccare, etiam venialiter, quia illa partialis omisio tunc, non solum est leuis, sed etiam est inuoluntaria & casualis, vel habet sufficientem excusationem: neque necessarium est ad hanc culpam veniale excusandam, quod ille defectus suppletur in alia Missa, etiam si fieri possit: quia iam præceptum est substantialiter impletum, & ille defectus inuoluntarie admissus est, illeq; modus supplendi illum est valde imperfectus, & non multum cōducens ad Missæ integritatem. Secundo fieri potest, vt hæc partialis omisio à principio committatur voluntarie, vt si quis sciens, & videns, nolit ingredi Ecclesiam, donec epistola dicta sit, animo adimplendi præceptum, reliquum Missæ audiendo, & tunc semper venialiter peccatur. Neque existimo necessariam moderacionem, quam aliqui addunt, scilicet, nisi illa pars, quæ omittitur, minima sit, quantumuis enim sit parua, est irritabilis voluntas omittendi illam, nisi legitima causa ad sit: neq; oportet etiam excipere confessionem Sacerdotis, vt aliqui excipiunt, quia non putant esse partē Missæ: est enim hoc gratis dictum, nam sub ritu & nomine Missæ totum id comprehenditur, & ita hoc totum etiam complectitur præceptum audiendi Missam; postquam vero hic defectus iam commissus est, non est obligatio illum supplendi in alia Missa, propter rationes insinuatæ, & quia res morales non sunt adeo rigorose expendendæ, præsertim, quando leuiores sunt.

Deliberatio aliquorum non est necessaria.

Tertio fieri potest, vt pars omisa sit notabilis, & quod à principio fuerit inuoluntarie omisa, vt si quis veniens, ad Ecclesiam, inueniat Sacerdotem iam esse progressum in Missa ferè vsq; ad consecrationem, & illam Missam audiat, timens, non futuram aliam, tunc ille quamuis proprie non adimpleat præceptum, excusabitur tamē à culpa, si mora illa inuoluntaria fuit, si tamen quocunq; casu accidat, vt postea alia Missa dicatur, tenebitur ita supplere defectū, vt præceptū impleat, quia nondum illud impleuerat, & iam tolli-

tur ratio excusationis. In huiusmodi autem casibus valde aduerendum est, sepe prius peccari grauius ratione periculi, cui homo se exponit, non inueniendi Missam, quamuis postea forte casu accidat, vt illam inueniat; nam ille iam dedit, quantum est ex se, moralem causam omisionis, quamuis postea casu acciderit, vt illa causa non habuerit effectum, quia fortuiti euentus non excusant priorem culpam. In quo debent confessores esse solliciti, vt culpam discernant; & non ab euentu, sed à negligentia, & voluntaria mora cum periculo morali, de illis iudicent. Quarto deniq; potest hæc pars notabilis Missæ voluntarie omitti, & quidem, si id fiat, animo non audiendi aliam Missam, nec supplendi illum defectum, iam peccatur mortaliter; nihilominus tamen semper manet obligatio supplendi illum defectum, quoad fieri possit; quia illud peccatum magis consistit in proposito interiori, quam in exteriori omisione, quæ non est in re posita, donec elapsū sit totum tempus, in quo potest impleri præceptum; & ideo tale præceptū semper obligat ad mutandum illud propositum. Si autem illa pars omittitur, animo audiendi aliam Missam, vel supplendi defectum, non peccatur, audiendam eam partem Missæ, dummodo postea præceptum impleatur, vt per se constat.

valde aduerendum.

Notabilis.

Quæstio.

Sed tunc inquiri potest, quomodo supplendus sit ille defectus: an, scilicet, necesse sit audire aliam Missam integram, vel sufficiat, in alia audire eam partē, quæ in altera omisa fuit, ita vt sufficiat à principio habere hanc intentionem. Communiter authores docent, satis esse in huiusmodi casu audire in altera Missa partem omisam in alia, adeo vt, licet ex directa intentione id fiat, censeant, sufficere ad substantiam præcepti impleendam, quamuis, si absq; causa fiat, peccatum veniale sit propter nonnullam irreuerentiam.

Communis auctoritas sententia.

Ita tenet Maior in 4. dist. 12. & d. 45. q. 2. Soto. d. 13. q. 2. art. 1. Nauar. in Sum. c. 21. num. 2. & in c. Quando, de Consecrat. d. 1. notab. 10. n. 18. & seqq. & recentiores communiter hoc sequuntur. Fundamentum eorum est, quia præceptum solum obligat ad audiendam totam Missam, non vero, quod ab vno Sacerdote continenter audiatur: hoc enim non habetur in verbis legis, vt patet in citatis iuribus: sed qui ab vno Sacerdote audit Missam, vnam ab offertorio, verbi gratia, vel consecratione, ab alio vero audit aliā à principio vsq; ad offertorium vel consecrationem, re vera audit totam Missam, licet non ab vno Sacerdote: ergo implet præceptum. Dices, illum nō audire Missam debito ordine, cum prius posteriorem partem, postea priorem audiat. At vero in dict. cap. Missas. signatim præcipitur: vt speciali ordine audiat. Quod si dicas, saltē posse è contrario fieri, vt prius pars prior Missæ, & deinde posterior audiatur, contra hoc est, quia saltē iam illa sententia non erit in vniuersum vera; & deinde, etiam in prædicto casu, non videtur seruari debitus ordo Missæ, quando quidem nō continue, nec per modum vnius integri officij sacri auditur. Hoc argumentū fundatum in illo verbo prædicti textus, Missas audire speciali ordine præcipimus, non habet magnam vim: quia illud verbum (speciali ordine) non videtur construendum cum verbo, audire, sed cum verbo, præcipimus, ita vt sensus sit speciali ordinatione seu lege præcipimus, Missas audire. Fundatum autem prædictum argumentum in verbo illo (totas Missas) adiuncta, & morali, & phylitica ratione, non videtur contemnendum: quia totū proprie nō significat partes distinctas, & quouis modo aggregatas, sed vnitas, & debito ordine coniunctas maxime, si totum artificiale sit: sed illæ duæ partes Missæ sunt distinctæ & diuisæ, ne debito ordine & modo coniunguntur ad vnam Missam componendam: ergo audire illas duas partes, nō est audire Missam, vel totam Missam. Et confirmatur, nam hac ratione, si vnus Sacerdos nunc consecraret corpus, & post horam consecraret sanguinem, facta corruptione morali,

Maior. Soto. Nauar. Fundam. istum communis sententia.

Propria ratio significatio.

moralis, verbi gratia, exuendo se vestibus sacris, & aliquid aliud interim agendo, non efficeret vnum sacrificium, neq; vnam Missam diceret: quia, licet in re afficeret vtramque partem, non tamen efficeret illas coniunctas & vnitae, prout necesse est ad hoc sacrificium; ergo idem est de audiendo. Et augetur praeterea difficultas, quia alias sequitur, posse aliquem implere Missae praecipuum, audiendo simul duas partes Missae, vt si verbi gratia, in vno altari vna inchoetur, & in alio altera continuetur a consecratione (& idem argumentum fieri potest de tribus altaribus, &c.) consequens autem est valde absurdum, quod nemo haecenus concessit, quem ego viderim. sequela vero patet, quia etiam ille audit totam Missam, potest enim vtrique esse sufficienter praesens, & sufficientem attentionem adhibere. Quod vero simul id fiat, non refert: quia etiam potest quis simul duo praecipua implere, scilicet, recitare horas canonicas, & audire Missam in die festo. Neque etiam refert breuitas temporis, quia haec est per accidens, vt patet in dicto exemplo: nam, qui tempore Missae recitat horas, breuius tempus in diuinis rebus consumit, quam si singula suis temporibus faceret. Propter haec suspensa mihi semper fuit illa doctrina, qua nonnulli etiam modernis Theologis & Iurisperitis displicere video: quia reuera est parum contentanea intentioni Ecclesiastici praecipui, & religioni ac reuerentiae debite huic sacrificio. Et saltem censetur valde pertinere ad substantiam huius praecipui, vt tota Missa fidelium, ab oblatione vsque ad consumptionem, continue & per modum vnius sacrificij audiatur, vt debito modo possit audiens suas partes exhibere ad integre offerendum sacrificium per Sacerdotem eo modo, quo sibi possibile est, quoad accidentalia vero facilius admitterem, posse praedicto modo suppleri, maxime ob aliquam probabilem causam seu necessitatem: nam sine illa res est reprehensione digna. Nihilominus propter auctoritatem dictorum auctorum non potest praeterea condemnari contraria sententia: & ideo, qui ex illa fuerit operatus, non peccabit mortaliter: & ad rationes in contrarium dici potest cum Glossa in cap. Quorundam distinction. 23. in Missa, quia eius vnitas est cuiusdam solemnitatis, posse ex duobus imperfectis vnum aliquo modo constitui: ita vt saltem sufficiat ad implendum praecipuum: nam si quid deest ad perfectionem, non censetur sufficiens ad culpam mortalem, & talis posset intercedere causa, vt excuset etiam a veniali.

Autoris sententia.

Quaestio.

Sixtus IV.

Iustinus.

Circa secundam Missae distinctionem de solemnitate & priuata, inquiri potest, an teneantur fideles audire in sua Parochia Missam, quam maiorem vocant, quae pro vniuersa plebe cum cantu dici solet. Multi enim auctores Canonistae tenent, ex vi iuris communis teneri fideles ad audiendam Missam diebus festis in sua Parochia: quibus fauet Sixtus IV. in c. 2. de Tregua & pace: in Extrauagant. commun. vbi in concordia inter fratres Mendicantes & Parochos ponitur, quod Fratres Mendicantes non praedicent, (Populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochijs diebus festis & Dominicis: cum iure sit cautum illis diebus teneri Parochianos audire Missam in eorum parochiali ecclesia, nisi forsan ex honesta causa, ab ipsa Ecclesia se absentarent.) vnde in c. de Parochijs statuitur (vt Diuicis vel festis diebus Presbyteri antequam Missam celebrent, plebe interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi velit Missam audire, quae si inuenerint, statim ab Ecclesia abijciant.) In his autem decretis, quibus non fit expressa mentio de Missa solemnitate & maiori, tamen reuera videtur de illa esse sermo: nam ad illam solebant semper fideles diebus Dominicis, & solemnibus conuenire, vt supra ex Iustino, & multis Patribus ostensum est. Item de illa plane est sermo in c. Omnes fideles, c. Missas. c. Cum ad celebrandas; de Consecr.

Art. VI. in quibus praecipitur, vt populus non discedat ante benedictionem Sacerdotis: & in c. Et hoc attendendum, eadem distinctione cauetur, vt per dies solennes, priuata Missa non ita in publico fiat, ne populus a publicis Missarum solemnibus abstrahatur: & vt Sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut eadem vrbis sunt, & populus in vnum ad Missarum publicam celebrationem conueniant. Idemque colligi potest ex c. Si quis extra Parochias eadem dist. Et confirmatur, nam fideles debent his diebus aliquam oblationem in Missa facere; ca. Omnis Christianus, de Consecr. d. 1. Aut autem fit Missa solemnitate, & debet fieri in propria Parochia: ergo signum est, in eadem debere audiri Missam maiorem.

Confirmatur secundo, quia in Missa maiori Parochia solent praecipui fideles dies festiui, ieiuniorum, excommunicationes, & similia, quae culpabiliter ignorabunt, si non adint: imo illa consuetudo indicat obligationem illic audiendi Missam.

Sed in primis, quicquid sit de antiquo iure, dictum est, nunc satis facere fideles huic praecipuo audiendo Missam vbiq; etiam extra propriam Parochiam. Ita docet late Nauar. c. 21. num. 5. Angelus Summ. verb. Missa, n. 59. Syluest. verb. Missa, 2. q. 5. & verb. Excommunicatio, 2. n. 20. Turresem. c. Missas, de Consecr. d. 1. Antonin. 2. part. tit. 9. c. 10. §. 1. & alij verbo, Missa. Potissima ratio est, quia Ecclesiastica consuetudo ita habet, quae ab omnibus palloibus Ecclesiae toleratur: per quam, si quod fortasse fuit de hac re ius antiquum, abrogatum est. Praeterea quia dicto cap. 2. de Parochijs, solum videtur reprehendi, qui ex contemptu proprij Parochi, alibi Missam audit: qui ergo non hac de causa id facit, sed ob maiorem deuotionem, vel commoditatem satis facit praecipuo. Vnde Concilium Tridentinum, sessio. 22. in Conc. Trid. Decret. de obseru. in celebr. Miss. sic inquit: Moneant etiam eundem populum, vt frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & maioribus festis, accedant: supponit ergo Concilium, nullum de hoc esse praecipuum; & ideo non dicit esse praecipuum, sed monedos fideles: & non in omnibus diebus festiuis, sed praecipue in aliquibus. Imo addunt Syluest. & Nauar. supra, non posse Episcopum cogere, per legem vel excommunicationem, subditos ad audiendam Missam in propria Parochia, quia non potest ipse ius commune restringere, hoc autem commune ius de audienda Missa in die festo, cum hac locorum amplitudine, consuetudine ipsa vniuersali explicatum est. Accedit, quod iam esse valde difficile, & incommodum omnia fidelibus limitari ad Missam audiendam in propria Parochia, nec posset fieri sine scandalo, tum laicorum, tum etiam religiosorum, qui etiam habent specialia priuilegia, vt in suis Ecclesijs possint fideles hoc praecipuum implere. Aliqui vero excipiunt ab hac generali regula praecipuas quaedam festiuitates, vt Natale Domini, & alias, quae numerantur in c. Si quis etiam, de Consecr. d. 1. Sed in rigore praecipui nullam oportet exceptionem facere; quia consuetudo generalis est, consulendum tamen esset fidelibus, vt saltem his diebus, vel aliquoties in anno, ad diuina officia, & praeterea ad Missas audiendas, suas Parochias adirent: & interdum posset hoc eis praecipui ab Episcopo, in aliqua speciali die ob rationabilem aliquam causam: vel in aliqua etiam Parochia nonnullis anni diebus; si ad splendorem diuinorum officiorum, vel ad subueniendum alijs Ecclesiae necessitatibus, videretur necessarium. Sic etiam in Concil. Trident. sess. 24. c. 4. de reformatio. Conc. Trid. ne dicitur, teneri vnumquemq; fidelium Parochianum suae interesse, vbi commode videri possit, ad audiendum verbum Dei, quamquam, vt Nauar. notat, ibi non fit sermo de auditione Missae, sed verbi Dei: & illa obligatio, si in rigore sumatur pro obligatione praecipui: non est absoluta, sed supposita communitate (vt Concilium dicit) & doctrina necessitate, sine qua

qua præceptum affirmatiuum non solet obligare, quando lex ipsa tempus non determinat, ad audiendam enim concionem nullum hæcenus est tempus lege præscriptum.

a. Concilij. Secundo dicendum est in hac dubitatione, non teneri fideles ex vi huius præcepti ad audiendam Missam maiorem, seu quæ cum cantu dicitur, sed satisfacere, audiendo Missam priuatam, etiam si in propria Parochia hoc præceptum implent. Ita docent omnes authores citati: & probatur sufficere eadem consuetudine in vniuersa Ecclesia recepta & approbata: imo, etiam si antiqua iura consulantur: nullum est, ex quo possit hæc obligatio colligi: nam in c. Missæ solum præcipitur, vt fideles totam Missam audiât, qui autem priuatam Missam audit, si audiât totâ, satisfacit verbis huius legis: & quod ibi & alijs decretis dicitur, vt fideles non exeant ante benedictionem Sacerdotis, potest etiam de priuata benedictione intelligi. Et quamuis interdum, & Sæcti, & Decreta loquuntur de fidelium cõuentibus, qui diebus Dominicis fieri solent & debent ad publicas Missas, & officia, non ideo significant præceptum esse impositum singulis fidelibus, vt illis interint: sed solum indicât, expedit, vt conueniant: & pastores Ecclesiæ ac Sacerdotes, id curare debere, & hoc modo in c. Et hoc attendendum, dicitur, cauendum esse, ne propter Missas priuatas impediatur fideles ab audienda Missa publica & solemnè. Ad primam ergo confirmationem de oblationibus respondetur primum, eam obligationem, quæ in Missa solemnè post Euangelium fieri solet, voluntariam esse, & non cadere sub obligationem, nisi specialis necessitas Ecclesiæ, aut consuetudo ad eam obliget, vt latius tractat D. Thom. 2. 2. q. 86. ar. 1. Turrecrem. cum alijs in c. Omnis, de Consecrat. d. 1. Syluest. & alij Sum. verb. Oblatio: & quando hæc obligatio intercederet, posset talis oblatio per alium mitti, vel alia via compensari. Et eodem modo dicitur ad secundam confirmationem, vbi est illa consuetudo, vt in Missa solemnè aliqua publicentur, debere fideles, vel interrogare, vel alia via discernere, an ea habet modum fit aliquis dies ieiunij, & familia.

D. Thom. Turrecr. Syluest.

Dubium expeditur.

Syluest.

Authoris sententia.

Syluest.

Soto.

Nauiar.

Caietan.

Anton.

Atq; ex his facile expeditur aliud dubium, quod circa tertiam diuisionem Missæ supra positam oriri solet, an scilicet, ad satisfaciendum huic præcepto, oporteat, Missam de die seu festo audire, vel satis sit, audire Missam votiuam, aut pro defunctis, & c. Et ratio dubitandi sumi potest ex c. 2. de Celebrat. Missar. vbi videtur prohibere laicis, vt Missas non audiant, nisi de eodem die, quod videtur intelligendum de Missis, quæ audiuntur ad implendum præceptum, nam de alijs nõ est vlla prohibitio. Et ita opinati sunt aliqui vt refert Syluest. verbo Missa. 1. quæ. 4. & ipse ait, Credo quod seculares audientes, ex ignorantia excusentur, licet non celebrantes, & inferius ait: Licere quidem Sacerdoti interdum dicere Missam votiuam in die festo, dum modo non sit de præcepto, q; Missa audiatur, vel si sit, tam audiens, quam celebrans, audiatur aliam de festo. Sed hæc secundum congruitatẽ, non secundum necessitatem, intelligenda sunt, vt infra declarat. Dicendum est ergo non esse necessariũ ex vi huius præcepti, audire Missam de die, sed quancũq; audita, etiam de defunctis, satisfieri huic præcepto. Ita Syluest. supra, & verbo, Missa, 2. q. 4. Soto, d. 13. q. 2. art. 1. Nauar. c. 21. n. 7. Caietan. verb. Festorũ violatio. Antonin. 2. par. tit. 9. cap. 10. §. 1. Summistæ communiter, & probatur sufficere consuetudine Ecclesiæ. Item, quia decreta, quæ de hac re sunt, solum præcipiunt, audire Missam: quælibet autem est vera Missa. In illo autem c. 2. de celebrat. Miss. non est sermo de hac re, sed de superstitione quorundam, qui nõ videbantur sibi Missam audire, nisi principium Euangelij Ioannis, & Missas peculiare de Sæcta Trinitate, aut de sancto Michaelæ audirent, Et ideo sancitur in eodem Concilio, vt vterius hoc non fiat, nisi suo tempore. Et additur præterea in illo textu alia exceptio

his verbis, Et, nisi aliquis velit propter reuerentiam Sæctæ Trinitatis, non pro alia deuotione, audire. Vbi etiam approbatur audire Missam votiuam, legitima intentione & reuerentia; & non pro alia deuotione, quod Glossa exponit, dicens, quati melius fit, istas Missas audire: quam alias canonicas de die. Tamen in Concil. Selegunitadien. c. 10. vbi textus ille habetur, loco illorum verborum (non pro alia deuotione) legitur (non pro aliqua diuinatione). Igitur superstitio est, quæ prohibet ibi, & non aliud: consulendũ tamen est fidelibus, vt Missam de die audiât, præsertim Dominicis, & festis diebus, & maxime hi, qui Ecclesiastica officia intelligunt: nõ reliquum vulgus, neq; in hoc facit differentiam, neq; moraliter potest: q; etiam est signum, non fuisse cõueniens hoc præceptum aliter imponi.

Concil. Selegunitadiens.

Vltimo hic quæri potest, an interdum obligentur fideles ad audiendas plures Missas, quod maxime interrogari solet, propter diem Natiuitatis, nõ de alijs diebus nulla potest esse ratio dubitandi, vt supra dictum est. Respondetur tamen breuiter, etiam de die Natiuitatis esse certam, non teneri fideles ad audiendas tres, nec duas Missas, sed satisfacere, qualibet audita, vt expresse docuit Nauar. d. c. 21. n. 2. quia nulla est lex, quæ ad hoc obliget: Item, quia neq; ipsi Sacerdotes tenentur tres dicere: illa enim indulgentia est, non obligatio. Ex vi ergo huius præcepti nunquã tenentur fideles audire, nisi vnã Missam. Secus vero erit, si huic præcepto adiungatur votum, vel speciale aliud præceptum Sacerdotis, imponentis in satisfactionem audire aliam Missam. Vbi obiter inquiri poterat, an huiusmodi præceptum à cõfessore impositum de audienda Missa, tali die festo in satisfactionem, obliget ad distinctã Missam audiendam, vel possit vtrumq; vna Missa impleri, idemq; interrogari potest de voto audiendi Missam in die festo. Sed hæc alterius considerationis sunt, nunc breuiter dicitur, pendere ex intentione, vel vouentis, vel confessoris præcipientis, quæ intentio explicanda & declaranda est, vt tollatur omne dubium: vel, si hoc prætermisum est, ex verbis & circumstantijs erit coniectanda. Notat autem Maior in 4. dist. 12. quæst. 8. quod cum quis tenetur audire duas Missas aliquibus ex prædictis titulis, potest illas simul audire à duobus Sacerdotibus in duobus altaribus: quia ex vi illarum obligationum non tenetur illas audire diuersis temporibus, iuxta ea, quæ in simili dicemus in fine sectionis sequentis.

Responsio.

Nauar.

Maior.

SECTIO III.

Quibus actibus, quauis attentione debeas hoc impleri præceptum.

Explicuimus veluti obiectum seu materiã, circa quam versatur hoc præceptum, nunc sequitur declarandum, quomodo, seu quo actu implendum sit. Et est ratio dubij, quia in dicto capit. Missas, præcipiuntur fideles audire totas Missas: est autem difficile ad explicandum, quid significetur illo verbo audiendi: nam primo qui surdus est, potest implere hoc præceptum, quamuis nihil audiat. Item, qui à longe priuatæ Missæ assistit, nihil audit, & censetur implere præceptum. Quod si dicas (audire) ibi latius sumi prout includit videre: vnde alia littera, non habet, audire, sed, tenere Missas: & ita legit Surius in Concilio Agathens. cap. 47. contra hoc adhuc obstat, quia nec audire, nec videre necessarium est, vt constat, si fidelis fingatur surdus & cæcus. Item, quia interdum contingit propter magnam populi frequentiam, vt is, qui assistit, nec videre quicquam possit, nec audire: est ergo difficile ad explicandum quæ actio exterior ab homine exigatur circa Missam in hoc præcepto. Dicit fortasse posse, solum requiri corporalem præsentiam ad audiendum & videntium. Sed cõtra nam inde sequitur, si quis corpore ad sit præsens in Missa, etiam si animo alibi sit: vt si ibi de alijs rebus

Conc. Agath.

confa-

Confabuletur, nihilominus implere præceptum. Et consequenter etiam, qui ibi dormit. Quæ sunt valde absurda.

In hac re duo explicanda sunt, quæ in prædicta difficultate tanguntur. Vnum pertinet ad exteriorem actionem, aliud ad interiorem animi attentionem. Circa priorem partem, quæ facilius est, dicunt communiter authores ex vi huius præcepti teneri fideles, vt secundum moralem & corporalem præsentiam Missæ assistant: ita vt, quæcumque in ipsis est, audire possint, & videre, seu percipere aliquo modo Sacerdotis ministerium. Ita D. Antoninus, Syluest. Nauarrus, Caietanus & Soto, locis supra citatis. Et constat primo ex vi verbi audiendi vel tenendi: quod non potest alia ratione commodius explicari, vt ex obiectioibus satis constat. Secundo, quia propter hanc causam, iuxta vsum Ecclesiæ, necesse est adire templum vel locum, in quo Missa celebratur: nec satisfaciunt quis, etiam si domi manens per totum Missæ tempus sit intentus rebus diuinis: ergo præcipitur corporalis præsentia & assistentia, cumque hæc ordinetur ad percipiendum sensibilibiter verba aut ceremonias Missæ, talis præsentia præcipitur, qualis ad hoc moraliter sufficit, ergo hanc tenentur fideles exhibere.

Anton.
Syluest.
Nauarr.
Caietan.
Soto,

Circa posteriorem partem maior est difficultas, quæ consistit in duobus: primo, in intentione, secundo, in attentione, nam de intentione frequenter dicitur ad implendum hoc præceptum, necessarium esse, vt quis intersit Missæ ex intentione implendi hoc præceptum, vt patet ex Antonin. 2. part. tit. 9. c. 10. §. 1. & Nauar. in cap. Quando. notab. 13. numer. 27. & ratio esse potest, quia ad implendum quodcumque præceptum necessaria est voluntas implendi illud, quia implere præceptum, actus est obedientiæ, qui sine voluntate non fit. Sed, vt hæc sententia veritatem habeat, sano modo explicanda est. Primum itaque necessaria est voluntas audiendi Missam, nam si quis coactus, & contra voluntatem suam ibi adesset, non implet præceptum, quia nullo modo ei obediret. Et iuxta hoc intelligendum est, quod Antonin. ait famulos, seruos, alumnos, vel similes: qui Missæ adsunt quasi coacti à dominis seu pædagogis, alias non adfuturi, non implere præceptum, hoc enim est verum quando ipsi habent illam actualem voluntatem, etiam dum actu audiunt Missam, & maxime, si ratione illius non sunt affecti, sed distracti. Si autem ipsi talem voluntatem non habent, quamuis fortasse conditionalis illa in intellectu diuino vera sit, nihil refert ad implendum, vel non implendum præceptum. Imo, licet prius habuerint illam voluntatem præcepto repugnantem, & in ea grauiter peccauerint, si tamen postea voluntarie adsint, & attendant, sufficenter implebunt præceptum. Ita vt, licet aliqua censura imposita esset transgressoribus talis præcepti, illam non incurrent. Deinde necesse est, vt cum voluntate audiendi Missam, non coniungatur voluntas formalis contraria præcepto, quia reuera tunc per illum actum hoc modo exercitum non impletur præceptum, quia nullo modo obediretur illi, vt ratio supra facta probat, vt, si quis, dum ex deuotione Missam audit in die festo, hunc actum formalem habeat: nolo, hæc Missa implere præceptum, & in ea voluntate persistat, per illum actum vt sic, reuera non implet. Vnde si illum haberet sine spe ac proposito audiendi aliam Missam, grauiter peccaret, quia simpliciter haberet voluntatem non implendi præceptum. Dices, ergo omnino tenebitur postea audire aliam Missam. Responderetur, ita concedunt aliqui, quia suo arbitrio voluit excludere priorem actum à præcepto, & consequenter in eo statu manere, ac si nihil egisset. Probabilius vero est, secluso voto, non relinqui hanc præcisam obligationem, sed satis esse, vt voluntatem mutet tempore opportuno, id est, intra tempus præcepti, & velit, auditione præcedentis Missæ satisfaci-

Notabile.

Obiectioni
occurritur.

re præcepto, quia prior actus exterior voluntarie factus, quoad exteriorem actum vt humanum & moralem, habuit totum id, quod ad substantiam præcepti implendam sufficit: neq; hoc potuit excludi per priorem intentionem agendi illum actum ex deuotione, & non ex obligatione: solumq; ibi defuit obedientia voluntatis: ergo si hæc postea adiungatur per subsequentem voluntatem, & moralem relationem ab illa prouenientem, hoc satis est, ad implendum præceptum per priorem actum sic relatum. Et hæc est communis sententia, tam in hoc præcepto, quam in alijs similibus, vt constat ex materia de legibus. Tertio, si non adit voluntas contraria præcepto, sufficit ad illud implendum, voluntas audiendi Missam, et si formaliter non sit sub intentione implendi præceptum: quia omnis, qui non excludit, ceterum virtualiter includere intentionem implendi præceptum in ea voluntate, qua vult efficere actum præceptum. Et hoc etiam commune est apud authores. Vnde infertur, eum, qui summo mane Missam audiuit ex deuotione, exultans non esse diem festum, quamuis postea id sciat, non teneri ad aliam Missam audiendam: sed ad summum, ad volendum satisfacere præcepto per priorem actum: imo neq; hoc in rigore necessarium est, sed solum, vt iudicet, se satisfecisse præcepto.

Vltimo addendum hic est, prauam intentionem adiunctam voluntati audiendi Missam, non esse contrariam implenti huius præcepti, si alio de non excludat sufficientem attentionem. Itaque, quamuis quis eat ad Ecclesiam ex libidinosa intentione videndi feminam, vel etiam si officio Missæ cum eadem intentione assit, tamen, si non excludat voluntatem implendi hoc præceptum Ecclesiasticum, & sufficienter sit attentus, implet illud. Ita Medina, Codice de confess. quæstio. de Pœnitent. iniuncta tempore, 2. hinc quo Missa celebratur, & Nauarr. c. 21. num. 10. contr. D. Antonin. & Adrian. vt in simili suspensus etiam dicitur est, tractando de præcepto communionis: est enim hic eadem ratio, scilicet, quia ille implet substantiam actus præcepti, cui intentio illa contraria non est.

Et confirmatur, quia alias, qui ex intentione vanæ gloriæ audiret sacrum, non implet præceptum, quod valde rigorosum est, & per se improbabile: seque la patet, quia si aliqua intentio extranea impediret, nihil referret, quod esset magis, vel minus praua, quia satis erit, quod maculet actum: hoc ergo non impedit, sed satis est, quod maneat actus substantialiter bonus, moralis & voluntarius: formaliter, aut virtualiter factus ad præceptum implendum. Et hæc de intentione.

Circa alteram partem de attentione, Syluest. ver. 5. hinc bo Missa 2. q. 6. dicit, interiorem attentionem non cadere sub hoc præcepto, sed solum exteriorem: & infirmitat rationem, quia humanum præceptum non cadit in interiorem actum. Sed hoc nullius momenti est, nam licet actus pure interior per se non præcipiatur lege humana, tamen vt coniunctus exteriori, & tanquam forma illius, percipi potest: sic enim præcipitur interior attentio per legem humanam, qua præcipitur vocalis oratio, vt constat ex materia de Oratione: sic ergo præcipi potest præsentis præcepto. Imo si interior attentio non esset præcepta, neq; exterior esset: quia hæc non est, nisi propter interiorem: consistit enim hæc exterior attentio, vt ipse Syluest. explicat, in hoc, quod homo non occupetur in alijs actionibus auditioni Missæ repugnantibus, quod solum est necessarium propter attentionem interiorem.

Dicendum ergo est, requiri aliquam attentionem ex obiecto religiosam, & ad cultum Dei pertinentem ad hoc præceptum implendum. Ita docent authores omnes statim citandi: ratio vero clara est, quia hæc lege præcipitur auditio Missæ, vt est actus humanus, suffi-

sufficiens ad moralem presentiam: sed sine attentione vlla nō potest actus esse humanus, nec presentia moralis: ergo. Confirmatur ratione supra insinuatā: quia qui ibi dormiret, vel attentissime studeret, legendo aut scribendo, sine vlla controuersia nō haberet presentiam necessariam: sed perinde se habet, qui nullo modo attendit, sed omnino mentis attentione voluntarie est in aliis rebus occupatus: ergo, &c. Rursum precipitur hic actus, non tantum, vt humanus & moralis, sed etiam vt religiosus, & ad cultū Dei pertinens: ergo nō quamcumq; attentionem requirit, sed religiosam & ad cultum Dei pertinentem: ita vt Deum oret, vel ei se submitrat, eumue honorare velit: vel saltem attendat ad ea, quæ sacerdos facit, tanquam ad res sacras. Et confirmatur, nam hac ratione ad orationem est necessaria attentio religiosa, vt latius traditur, 2. q. 83. Controuersia autem est inter authores, quæ nam attentio ad implendum hoc præceptum sit necessaria. Quidam enim putant, toto illo tempore necessariam esse attentionem ad Deum ipsum, vel orando seu petendo, vel gratias agendo, vel etiam de peccatis dolendo, vel aliquid simile. Quod sentire videtur Scotus in 3. d. 9. & Gab. lect. 29. in Canonem.

Scotus, Gabriel.

Caietan. Soto.

D. Thom.

v. Attentio.

2. Attent.

Cyprian.

Gregor.

Aliis vero, nec tam exacta, nec tam cōtinua actualis attentio necessaria videtur, vt late tractant Caiet. 2. 2. q. 132. art. 4. Soto lib. 2. de Iustit. & iure, q. 4. art. 4. Sed quamuis inter hos & alios authores controuersia sit de actibus interioris, vel exterioris cultus & religionis, qui per totum tempus diei feliti ex præcepto exercendi sunt, quæ controuersia nunc ad nos non pertinet: quia non de tota festorum obseruatione, sed de sola Missæ audicione, disputationem institui-mus: tamen quod spectat ad tēpus audiendi Missam, nullam credo esse dissentionem, aut difficultatem: eadem enim fere ratio est de hoc actu, quæ de oratione vocali, de qua D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13. triplicem attentionem distinguit, ad verba, ad sensum verborum, & ad Deum: quæ hic etiam cum proportione applicare possumus. Alia est enim attentio ad ea, quæ Sacerdos dicit vel facit, non vltra progrediendo, nec distincte intelligendo, sed solum attendendo, vt ad rem quandam sacrā, sicut supra dicebam: & hæc attentio est infima omnium, tamen sufficiens: quia illa satis est, vt illa Missæ auditio sit presentia sit humana moralis, & ex obiecto religiosa. Secunda attentio est ad ea, quæ illis verbis, vel factis significatur, & hæc est melior, & non solum sufficiens ad substantiam præcepti, sed multum etiam accedens ad finem eius, qui est commemoratio beneficiorum Dei, & præsertim Christi Domini nostri passionis, & redemptionis: nō est autem necessaria tam perfecta attentio, cum prima, quæ longe minor est, sufficiat: imo interdū multis est impossibilis magna ex parte hæc attentio, qui nec verborum sensum, neque actionum significati-onem percipere valent, vt ex supra dictis constat: nulli tamen sunt, qui saltem in confuso considerare non possint illis verbis & actionib. significari Christi Domini passionem, doctrinam & similia. Vltima deniq; attentio est ad Deum, quæ est suprema, & finis cæterarum, & maxime consulenda, & procuranda etiam in audicione Missæ, vt ex illo verbo, Surfum corda, significatione in c. Quando, de Consec. d. 1. ex Cypriano in expositione orationis Dominicæ: sub hac autē attentione ad Deum includitur omnis interior reuerentia & cultus, omnis oratio & petitio, vt eleganter dicitur Gregor. X. in c. Decet, de immunit. Eccles. in 6. Ex quo obiter inferitur, quod si quis, dū Missam audit, ita eleuet mentem in Deum, vt totus à sensibili audicione, & ab omni mysteriorum Missæ consideratione abstrahatur, totusq; in contemplationē Dei rapiatur, nihilominus perfecte implet hoc præceptum: quia perfecte assequitur finem præcepti, & voluntarie se applicuit, & adhibuit presentiam necessariam ad audiendam Missam: & in ea voluntate for-

Franc. Suarez. Tom. 3.

maliter, vel virtualiter persistit, cum attentione maxime intēta per ipsum præceptum, & ideo nullo modo est hic comparandus cum eo, qui voluntarie distrahitur ad res omnino alienas à Deo, & à rebus sacris, nam ille priorem intentionem, & voluntatem interruptit.

Atque hinc etiam facile intelligitur, quomodo necessarium sit in aliqua ex his attentionibus, toto tempore Missæ perseverare: est. n. necessaria hæc actualis intentio, quātum est ex voluntate, & intentione audientis Missam: non verò necesse est, vt actu semper duret: nam potius moraliter & humano modo loquendo, id est impossibile: satis ergo est, vt virtute durare censeatur, ratione prioris voluntatis non retractatæ. Quocirca necesse est, vt à principio quis accedat ad Missam audiendam, animo & intētionē attendendi aliquo modo sufficiente ex prædictis, inter quos potest etiam voluntariē attentionem mutare ab vno in alium pro suo arbitrio: tamen non debet voluntarie distrahi ad alia, quæ necessarię attentioni omnino repugnant: sic enim iā interrupteret priorem voluntatem & attentionem. Si autem (quod sæpe contingit) inuoluntarie distrahatur, etiam si ad magnam Missæ partem actualiter & formaliter non attēdat, implet sufficienter præceptum ex vi prioris voluntatis non retractatæ, ratione cuius virtualis attentio manet: quia reliquum non est in hominis potestate, vt eleganter dixit Ambros. lib. de fuga sæculi, c. 1. & Basil. lib. de vita perfecta, c. 2. Dicitur autem inuoluntarie distrahi, quamdiu non aduertit, se nō attendere ad rem diuinam, quamuis voluntarie de aliis rebus cogitet, tamē sine reflexione & sufficiente aduertentia, quod id faciat tempore Missæ, & quando deberet ad diuinam attēdere. Atq; ita rem hanc explicauerunt authores citati, & præsertim Medin. C. de orat. q. de potestate Eccles. circa actus internos, & q. de attent. in orat. habent. & videndus est etiam Gabriel lect. 62. & 86. in Canon.

Ambros. Basil.

Medin.

Gabriel

Ex his autem colligunt ferè omnes citati authores, quod si quis, dum audit Missam, voluntariē exerceat actiones aliquas exteriores, repugnantes debitæ attentioni Missæ, peccat in primis venialiter contra attentionem & reuerentiam debitam rei sacræ: ac deinde, si eo modo magnam Missæ partem audiat, peccabit mortaliter, & non implebit præceptum, si nimirum, tanta sit pars, cuius omisio sufficeret ad præcepti transgressionem. In quo quidem grauius erravit Med. Cod. de Confess. q. de pœnit. rem. Missæ impleta: dicens, si quis Missæ interit, semper tamen confabuletur, aut alia negotia futura cum mercatoribus tractet, nihilominus implere præceptum, quia implet substantiam eius, quamuis agat contra finem eius: quod plane falsum est, quia attentio non est tantū finis huius præcepti, sed est substantia eius, vt ostensum est: & ideo, qui voluntarie omnino distrahitur, non solum contra finem, sed contra substantiam præcepti agit: perinde autem est voluntarie exercere actiones, quæ secum non compatiuntur necessariam attentionē, quales sunt, semper confabulari: aut, quod peius est, mercaturam tractare, ac voluntarie non attendere: nam qui vult causam, vult effectum intrinsecè cum illa coniunctum. Atque ita tenet Syluest. verb. Missa. 2. quæstio. 6. & Nauarrus in Summ. cap. 13. num. 17. & cap. 21. & in cap. Quando, de Consec. dist. 1. notab. 10. num. 13. Caietan. verb. Festorum violatio. Soto in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. in fine, dicit, quod licet indecentia sint colloquia inter audiendam Missam, non tamen propterea fit transgressio præcepti. Hoc autem intelligendum est, vel, quando colloquia nō sunt continua, sed per paruam Missæ partem, quamuis sapius misceantur: nunc colloquendo, nunc attendendo, prout communiter fieri solet, vel certe, quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attentā, quæ non omnino impedit attentionem ad Missam: sed solum remittit illam:

Y y y

relin-

relinquit tamen sufficientem, ut actio illa humano modo fiat: sicut etiam, recitando horas canonicas, potest exerceri aliqua actio exterior, quando talis est ut non omnino divertat animum, neque omnem tollat attentionem: ergo idem esse potest in Missa. Praefertim, quia, ut Soto, & Navarrus etiam annotant, minor attentio in Missa necessaria est, quam in horis canonicis recitandis: quia oratio est actio magis rationalis, quam illa moralis praesentia, quae necessaria est ad implendum praecipuum de audienda Missa: & hoc modo est vera haec sententia Soti, & ita posset etiam exponi sententia Medinae: & deseruit, ut non condemnemus peccati mortalis multorum consuetudinem, quamvis reprehendenda graviter est: nam, ut minimum, est graue peccatum veniale, & facile potest declinare in mortale, praefertim, si confabulatio sit admodum continua, & maxime si potest generare scandalum, & impedire alios a Missa audienda.

Soto & Medina exponunt.

Corollar.

Maior.

Gabriel. Caietan. Soto. Medina. Caietan. Adrian. Navar.

Ultimo inferitur ex dictis, posse aliquem, dum Missam audit, quascunq; orationes, vel Psalmos pro sua deuotione recitare: imo ait Maior in 4. distinct. 12. quaest. 8. quod, dum Sacerdos submisit loquitur, tenetur audiens preces aliquas recitare. Quod non est intelligendum de preceionibus vocalibus, quia de hoc nihil praecipuum est: sed solum de attentione, quae explicata est: tamen, si vult, potest pro deuotione sua, etiam vocaliter orare: cauere tamen debet, ne, vel sacerdotem, vel alios impediatur. Ratio vero est, quia huiusmodi oratio non impedit praesentiam, neque attentionem ad Missam necessariam. Quo fit, ut licet nunc recitet ea, quae alias ex obligatione recitare tenetur, aut ratione Ordinis, aut beneficii, aut ex voto, aut ex poenitentia iniuncta, nihilominus sufficienter impleat praecipuum audiendi Missam: quia, cum illa oratio non tollat praesentiam, & attentionem necessariam, impertinens est, quod illa oratio sit ex alia obligatione, vel non. Atque ita docent Maior supra, & ibi Gabr. Caietan. Soto, & Medina, locis citatis. Et praeterea Caietan. tom. 3. opusc. de valore orationis. Adrian. materia de satisfact. q. 7. & Navar. in Su. capit. 21. num. 89. & in capit. Quando, notab. 19. num. 184. An vero ille tunc simul impleat aliud praecipuum de recitandis horis, non est praesentis considerationis sed in materia de oratione tractatur: ex dictis autem facile intelligitur, esse veram partem affirmantem, quam tenent citati auctores contra Syluest. Angelum, Armillam, & alios Summistas verbo, Missa, & verb. Feria.

SECTIO IV.

Quas personas obliget hoc praecipuum.

Ratio dubitandi esse potest, quia in d. c. Missas, de Consec. d. 1. dicitur, Missas totas audire secularibus praecipimus: ex quo verbo nonnulli Canonistae collegerunt, praecipuum hoc non obligare personas Ecclesiasticas, vel religiosas, quia obligatio legis non est extendenda ultra verba legis, sed vox illa secularis non comprehendit omnes personas, ut ex eius significatione constat: ergo neque obligatio huius legis.

1. Concluj.

8. ad Cor. 5.

Dicendum tamen est primo, legem hanc obligare omnes fideles adultos baptizatos cuiuscunque conditionis vel status. Conclusio est certa & communis, & patet breuiter singulae partes: nam in primis constat eos, qui ratione uti non possunt, non posse obligari hoc praecipuum, tum quia generaliter non sunt capaces praecipui, tum etiam quia actum hac lege praecipuum exercere non possunt. Deinde etiam est certum, hoc praecipuum non obligare infideles, tum quia generaliter non obligantur legibus Ecclesiasticis per se & directe, nam de his, qui foris sunt, nihil ad nos. 1. ad Cor. 5. tum etiam, quia, cum non sint membra Ecclesiae, non sunt proprie capaces huiusmodi sacrificii, nec possunt illud offerre, nec pro eis offerri potest, quoad fructum ex

opere operato. Vnde neque ei assistere permittuntur. Quocirca, non solum infideles, verum etiam nec catechumeni hac lege obligantur propter eandem causam: quia adhuc non sunt in statu, in quo Ecclesiasticis legibus subdantur: neque etiam ad proprium Missae sacrificium admittuntur, sed solum ad Missam catechumenorum usque ad offertorium, ut supra dictum est: & patet ex Conc. Cart. IV. c. 48. Nec vero ad illam obligantur: tum ratione generalis iam dictae: tum etiam, quia, qui non obligatur ad substantiam actus, neque ad ea, quae accidentaria sunt, potest obligari.

Ia vero, quod omnes adulti baptizati hac lege obligentur, per se loquendo, certa etiam & indubitata res est, quae omnes Summistae docent verb. Missa, & ver. Gabriel. Feria. Ant. 2. p. Summistae, tit. 9. c. 10. §. 1. Gabr. lect. 14. & Anon. 29. in Can. Sot. d. 13. q. 2. a. 1. Palud. d. 15. q. 5. Naua. c. 21. & constat satis ex consuetudine Ecclesiae. Et ratio est: id conuenit: nam in primis constat ex praed. c. Missas, omnes seculares ad hoc obligari: non recte a existimantur seculares a clericis distingui, sed a regularibus seu religiosis: frequens est enim in iure, ut seculares, in clericis & laicis distinguantur: omnes ergo ex vi illius vocis comprehenduntur: quamvis per se notum sit, Sacerdotes, celebrando, hunc praecipuum latissimè, perfectius enim Missam audiunt, seu tenent, quam assistentes. Religiosi autem seu regulares a fortiori comprehensum intelliguntur, ita ut seculariu specialis facta sit mentio, quia ut per se notum relinquitur multo magis debere religiosis hanc obligationem implere: cur enim illi, qui ratione status maxime ad diuinum cultum obligantur, ab huiusmodi praecipuum excluderentur? Accedit, quod in c. Omnes fideles, & c. Cum ad celebrandas, & c. Qui die, & c. Et hoc attendendum, de Consec. d. 1. satis ostenditur, hoc praecipuum generale esse, omnesque fideles comprehendere.

Quin potius queri hoc loco potest, an clerici vel religiosi teneantur ex aliquo Ecclesiastico praecipuum frequentius Missam audire, quam ceteri fideles, & maxime queri solet de Episcopis, de quibus in c. vlt. de Priuil. in 6. dicitur, non de cereo eas vllam die transire sine Missa absque rationabili causa. Dicendum vero est nullum esse circa hoc vniuersalem legem omnibus clericis, vel religiosis impositam: religiosi ergo consulant suas speciales institutiones, & statuta. Na illis obligari poterunt, iuxta modum vniuersalis regulae, ex vi autem Ecclesiastici praecipui nullam habent specialem obligationem. Similiter clerici ex peculiari tunc beneficii obligari poterunt, ut frequentius Missam celebrent, vel ei assistant: tamen ex vi huius legis, quam explicamus, vel alterius Ecclesiasticae, nullam habent specialem obligationem. Denique idem est de Episcopis sentiendum, quia, licet in dict. cap. dicatur, de cereo, non est tamen verbum vllum, quod praecipui obligationem inducat, ut notauit Angel. verb. Missa, n. 7. Navar. d. 21. & Canonistae communiter citato loco.

Ultimo inquiri potest, quo aetate anno incipiant fideles hoc praecipuum obligari. Respondetur, de hoc nihil esse iure praescriptum: & ideo regula generalis est, eos incipere obligari, cum iam ita possunt ratione uti, ut possint sufficienter discernere inter bonum & malum, & capaces esse peccati mortalis. Quia tunc iam sunt capaces obligationis naturalis colendi Deum, & ita etiam Missam audire hac lege Ecclesiastica obligari. Quo autem aetate anno incipiant in huiusmodi statu consistere, non potest generali regula definitur, sed ad parentum, Parochorum, & confessorum curam, & prudens iudicium hoc spectat. Illud solum est aduertendum in huius praecipui executione, nullam esse occasionem differendi executionem eius, quam primu probabilia signa appareant discretionis & rationis vltus: sicut supra dicebamus de praecipuum communicandi propter maiorem reuerentiam, & deuotionem, quae ad illum actum requiritur: nam ad audiendam Missam non est tanta cognitio, & perfectio

fecta reru consideratio, & deuotio necessaria, & ideo multi existimant, statim post septennium, incipere pueros hac lege obligari: & Anton. merito monet, vt a tenera etate inducantur a parentibus, & deferatur ad Missam audiendam, vt ita alluescant hanc Ecclesiasticam legem obseruare.

SECTIO V.

Quando vel quibus diebus obliget hoc preceptum.

Principio certum est, hoc preceptum obligare ad audiendam Missam omnibus diebus Dominicis. Ita enim specialiter explicatur in d. c. Missas, de Consecr. dist. 1. huius enim diei obseruatio propter mirabilia, quae Deus in eo operatur est, & praesertim propter Domini resurrectionem, quae hoc die facta est, celebris fuit semper in Ecclesia: & ad diuinum cultum specialiter sanctificata, & ad vsum huius diuini sacrificij & sacramenti, vt colligitur expositores omnes Graeci, & Latini ex illo Act. 20. Vna Sabbathi, cum conuenissemus ad frangendum, & 1. ad Cor. 16. Per vnam Sabbathi vnusquisq; apud se reponat, & c. Sicut Marc. dicitur Christus resurrexisse vna Sabbathorum, Sabbathum enim pro hebdomada sumitur, more Hebraeorum, qui vnam diem appellant, id est, primam: Vna ergo Sabbathorum dicitur prima dies hebdomadae, quae est Dominica, quam hoc etiam nomine appellat Ioan. Apoc. 1. & ab antiquis vocabatur etiam dies Solis, vt constat ex lege: Omnes dies. C. de feriis. Vnde de hac die loquitur Iustin. Apol. 2. in fine cum dicit, Die solis solitos esse Christianos in vnum locum conuenire ad diuina officia, & praesertim ad sacrum Eucharistiae mysterium conficiendum. Et Tertullian. in Apolog. cap. 16. cum inquit, Aequi si diem solis laetitia indulgemus, vbi Pamel. nu. 248. & in epist. 33. Cyprian. num. 8. & Bellarm. lib. 3. de cultu Sanctorum, cap. 11. multa de antiquitate huius festiuitatis congerunt, & a Gratiano referuntur nonnulla dist. 75. ex Anacleto epist. 2. & ex Leone Papa epist. 78. & dist. 76. cap. Ieiunium, ex Hieron. Zach. 8. cap. Scire, ex Ambros. serm. 61. & alijs. Vnde in cap. Licet, de feriis, dicitur, tam veteris, quam noui Testamenti paginam septimum diem ad humanam quietem deputasse, non quod huius diei obseruatio de iure diuino sit, vt quidam putarunt, & refert Syluester, verb. Dominica. q. 1. sed quod iuri diuino valde consentaneum sit, vt vna dies hebdomadae ad diuinum cultum deputetur, quae in lege veteri erat dies Sabbathi ex precepto diuino, quoad hanc partem caeremoniali: & in lege noua, in qua caeremonialia cessarunt, in diem Dominicam merito translata est: tum vt Christiana obseruatio a Iudaica distingueretur: tum etiam, vt vmbras & figuram iam cessasse, & in Dominica resurrectione omnia esse completa ostenderetur: & propter alias causas, quas hic referre superuacaneum esset: sed videri possunt in citatis authoribus, attigit hoc D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 4. & Soto, lib. 2. de Iust. q. 4. ar. & q. 5. a. 8. Med. C. de poenit. q. 6. Nauar. late in c. Quando, de Consecr. d. 1. notab. 3. n. 18. & c. Inter verba, n. q. 3. n. 50. & in Manuali, c. 13. quamuis autem certum sit, diem Dominicam ab Apostolorum temporibus diuino cultui dicatam esse: quando tamen ceperit in ea obligare preceptum audiendi Missam, non satis constat. Nam in d. c. Missas: cum dicitur, speciali ordinatione hoc praecipui, significatur antea hoc non fuisse in precepto. Quamquam licet hoc ita esset, non esset recens illud preceptum, sed valde antiquum: nam Concil. Agathense tempore Celestini Papa celebratum est ante mille & ducentos annos: exitimo tamen quauis antea non fuerit haec lex scripta, tamen traditione & consuetudine Ecclesia semper seruata esse, vt ex traditione Sanctorum Patrum, quos indicauimus, colligere licet: cum enim dies illa diuino cultui fuerit a principio di Franc. Suarez. Tom. 3.

cata, verisimile est, hunc maxime cultum fuisse semper in Ecclesia praecipuum, quidquid vero sit de antiquitate praecipui, certum tamen est, nunc praecipue his diebus obligare.

Dico secundo, hoc preceptum non tantum obligare ad Missam audiendam in diebus Dominicis, sed etiam omnibus diebus festiuis: nam licet in d. c. Missas, solum diei Dominica fiat mentio, tamen ex consuetudine & communi consensu Ecclesiae constat, idem esse de ceteris diebus festis intelligendum: quod etiam aperte colligitur ex ca. Si quis, eadem distinct. quod sumptum est ex eodem Concilio Agath. c. 21. Item ex cap. Et hoc, cap. Omnes fideles, & cap. Qui die, eadem dist. in cap. 2. de Parochiis dicitur, vt Dominicis, & festiuis diebus Presbyteri, antequam Missas celebrent, inquirent, an ex aliena Parochia aliquis ibi adit, & c. Deniq; ratio est eadem: quia etiam dies festi ad diuinum cultum deputati sunt: nullus autem alius cultus proprio affirmatiuo precepto mandatur fidelibus omnibus in Ecclesia, praeter hunc cultum audiendi Missam: reliqua enim festorum obseruatio magis est negatiua, scilicet, vacandi ab omni opere feruili. Quotiescunq; ergo in Ecclesia dies aliquis tanquam festiuis a fidelibus omnibus obseruari praecipitur, hoc ipso intelligitur tempus illud determinari, vt in eo obliget Missae preceptum. Nam haec est praecipua pars sanctificationis cuiuscunq; diei festi in lege gratiae, & ideo preceptum hoc sub hac generali ratione fidelibus proponitur in omnibus Catechismis Christianae fidei. Sed inquiri potest, quanam sint hi dies festi, in quibus obligat hoc preceptum. Responderetur, quosdam esse iure communi institutos & praecipuos: alios vero antiquissima & vniuersali Ecclesiae consuetudine, alios priuata lege alicuius Episcopi, ciuitatis, aut oppidi. In primo ordine sunt imprimis quaedam Domini festiuitates, vt Natiuitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, de quibus fit mentio in c. vlt. de feriis, & postea additum est festum Corporis Christi ab Urbano IV. & Clem. V. in Clement. vnica, de reliquijs, & veneratione Sanctorum; & festum Inuentionis S. Crucis, ab Eusebio, epist. 3. in cap. Crucis, de Consecr. d. 3. Festum autem Transfigurationis, licet ab vniuersa Ecclesia celebretur, & sit valde antiquum, vt constat ex concionibus Leonis, Cyrilli, & aliorum apud Surium, non tamen vniuersali lege Ecclesiastica obseruari praecipuum est. vnde non est ex his festis, in quibus iure communi obligat hoc preceptum. Rursus in eodem ordine sunt quaedam festiuitates B. Virginis, quae in d. c. vlt. de feriis specialiter non declarantur: sed generatim dicitur Festiuitatum omnium Virginis Gloriosa, tamen in ca. 1. de Consecr. d. 3. numerantur Purificatio, Assumptio, & Natiuitas S. Mariae. Et postea additum est festum Conceptionis in Extrauag. communib. de Reliquijs, & venerat. Sanctorum, quamuis ibi non praecipatur expresse, festum illud obseruare, aut Missam in eo audire, sed indulgentiarum concessione inuitantur fideles ad id faciendum, iam vero consuetudine haec etiam festiuitas recepta est. Rursus ad hunc ordinem pertinent festiuitates quorundam Sanctorum, vt Ioannis Baptistae, duodecim Apostolorum, B. Laurentij, Dedicacionis S. Michaelis, & festiuitas Sanctorum omnium, S. Stephani, & Sanctorum Innocentium; quae numerantur d. c. vlt. de feriis, & d. c. 1. de Consecr. d. 3. de quibus omnibus videri possunt citati auctores, & latissime Cou. lib. 4. Variar. c. 19. Est autem aduertendum in illis decretis, praeter haec numerari alios dies, qui non sunt in vfu, nimirum, festum S. Syluestri, quod licet Romae obseruetur, non tamen in vniuersa Ecclesia. Item festum S. Martini, quod etiam non seruatur. Item tota hebdomada Paschae, cum tamen sola feria secunda & tertia ex precepto seruentur, sicut etiam in festo Pentecostes. Item omnes dies hebdomadae sanctae, qui etiam non seruatur sub

Conclus.

Cic. Agath.

Quaestio facta.

Glem. V.

Conar.



imo, cum illud officium in rigore non sit Missa, minor ratio est obligandi ad officium illius diei, vt in superioribus tactum est. Est autem optimum consilium, illis diebus, praesertim feria quinta & sexta, atq; etiam Sabbatho, matutinis temporibus ab operibus seruilibus vacare, saltem in publico, & Missa seu diuino officio assillere.

Secunda dubitatio solutio.
Secunda dubitatio est de quibusdam diebus, qui non sunt festiui toti populo, sed hominibus talis conditionis, vel officij, vt v. g. scholasticis, quibus peculiare dies festiui sunt. Respondetur, iuxta communem consuetudinem hos dies non censeri proprie festiuos: quod in primis est certum de diebus, quibus vacatur a laboribus, solum propter requiem corporalem, vt in Academia fieri solet vno die hebdomadae: & aliquibus ante, vel post Pascha, vel in aestate: quia constat, eos dies non esse dicatos ad diuinum cultum. Maior difficultas est de alijs, in quibus vacatur a lectionibus, vel alio simili labore in honorem aliquorum Sanctorum, vt Doctorum Ecclesiae, verbi gratia, & c. Et in his, qui iusta visum est, teneri Scholasticos ad audiendam Missam, quod quidem securum est, & optimum consilium, tamen in rigore non censo esse praecipuum: quia non est praecipuum illis diebus, etiam his personis, cessatio ab opere seruilis, sed tantum est concessa indulgentia vacandi a lectionibus, vel alio simili munere: signum ergo est, illos dies non esse simpliciter festiuos, quantum forte ea licentia concedatur in honorem Sancti alicuius, vt liberius possint vacare diuinis rebus, si velint. Item consuetudo hoc satis declarat, & communiter omnes ita intelligunt, tantum ex consilio, Missam esse audiendam illis diebus.

Tertium dubium.
Tertium dubium est, an elapso die praescripto ad audiendam Missam, si non fuit tunc audita, maneat obligatio ad audiendam alia die. Respondetur, non manere: quia praecipuum affirmatiuum tantum obligat pro tempore, eadem designato. Vnde si tunc non est impletum, debet culpa poenitentia deleri. Nulla tamen alia obligatio manet, sicut etiam constat de diebus ieiunij & similibus. Quo fit, non excusari a peccato mortali eum, qui sine iusta causa die Dominico Missam omittit, animo supplendi defectum die Lunae, vel etiam si praeniat audiendo illam die Sabbathi: quia illud est proprium onus illius diei, vt in simili docent Nauar. in c. Quando, notab. 3. n. 18. Medina. C. de orat. q. de horis can. reiterandis. Et eadem ratio, vt vtraq; ex parte feruetur equalitas, qui in die festo sacrum iusta ex causa omittit, non tenetur die sequente illud audire: neq; etiam tenetur anteriori die praenire, etiam si futurum impedimentum praenideat, quia praecipuum tantum obligat ad praescriptum tempus. Dices, ergo etiam si intra idem festum praenideat, se non posse audire sacrum ab hora nona, non tenetur praenire & audire hora septima vel octaua. Respondetur, negando consequentiam: quia quoad horam, in qua sacrum est audiendum, non est tempus omnino limitatum hac lege, sed tantum praecipuum est, vt ea die sacrum audiatur, quacumq; hora, moraliter loquedo, id fieri possit. Vnde, si vsq; ad meridiem, v. g. differri potest, ideo est, quia eo tempore solet Missa dici, & potest audiri: vnde, si tardius possit, etiam auditio Missae amplius differri possit: tamen, si Missa non sit dicenda, nihil in principio eius, obligat praecipuum ad audiendam tunc illam: quia obligat simpliciter, vt eo die impleatur.

SECTIO VI.

Quibus modis excusari aliquis possit ab audienda Missa in die, quo praecipua est.

Conclusio.
Certum est apud omnes auctores, & ex praxi ipsa satis constat, posse fideles varijs modis excusari, vt absq; peccato Missam omittant eo die, quo praecipuum est. Franc. Suarez Tom. 3.

ptum est, Missam audire, nam hoc praecipuum solum est de iure positio Ecclesiastico, & de re sancta quidem & honesta, non tamen simpliciter ad salutem necessaria, & ideo non obligat cum tanto rigore, quin interuenire rationabili causa, possit etiam legitima excusatio intercedere, vt notatur Summistae omnes verb. Missa, & verb. Feria. Anton. 2. p. tit. 9. c. 10. §. 2. Caietan. 2. 2. q. 122. art. 4. Soto hic dist. 13. q. 2. art. 1. & latius lib. 2. de iustit. q. 4. art. 4. Nauar. in Summ. c. 21. Numerantur autem ab his auctoribus varij casus, in quibus potest homo legitime excusari ab obseruatione huius praecipui: quos omnes sigillatim persequi infinitum quid esset, & praeter ordinem scientiae: nam ex circumstantijs per accidens occurrentibus modis variari possunt, qui necessario prudentis arbitrio relinquendi sunt, suppositis nonnullis generalibus principijs, quae attingemus, pauca quaedam capita numerando.

Prima igitur excusatio fit, spiritualis (vt sic dicam) impotentia seu impedimentum, vt si quis sit excommunicatus, vel interdictus speciali aut generali interdicto: nam huic prohibitorium est ab Ecclesia diuinis officijs interesse, etiam diebus festis, vnde necesse est, vt alia obligatio cesset. Quod quidem verum est, etiam si fortasse aliquis sua culpa talem censuram contraxerit, nam, licet in eo peccauerit, tamen, postquam iam est factus impotens ad audiendam Missam, non peccat non audiendo: maxime, si moralem diligentiam adhibuit, vt absolutionem censurae consequeretur: nonnulla vero difficultas est, quando negligit absolutionem obtinere: nam tunc videtur per eum stare, quominus potens sit audire Missam, & implere praecipuum: ergo illi imputandum est, si non audit, neq; hoc titulo iuste excusari poterit. Et confirmatur, quia simpliciter obligatur tali praecipuo, solumq; excusatur propter impedimentum: ergo in tantum excusabitur, in quantum impedimentum illud fuerit inuoluntarium: ergo, si voluntarium sit, non excusatur. Confirmatur secundo. Nam, qui annuam confessionem vel communionem omittit propter excommunicationem, si ipse sit negligens in obtinenda absolutione, non excusatur a culpa, vt sumitur ex his, quae Nauarrus tradit, capit. 21. num. 34. & 35. ergo: idem est in praesenti. Nihilominus idem Nauar. eodem cap. 21. num. 3. expresse docet, etiam si aliquis sit negligens in obtinenda absolutione: & in hoc fortasse peccat alio peccati genere, non tamen in omissione Missae, quam, supposito tali impedimento, iure omittit. Quam sententiam multi viri docti probant, & est sane probabilis, quia non tenetur quis tam remote, & a longe (vt sic dicam) se disponere ad Missam audiendam: ergo ex vi huius praecipui non obligatur ad procurandam absolutionem excommunicationis: ergo dum in hoc est negligens, non peccat contra hoc praecipuum: sed neque etiam postea peccat, non audiendo cum excommunicationis vinculo: ergo nunquam peccat in hoc. Item infirmus, si sit negligens in procuranda salute & viribus, vt possit Missam audire, & qui est in vinculis, si sit negligens in procuranda libertate, & ideo Missam omittat, non peccat specialiter contra hoc praecipuum, quia non obligat ad tollenda impedimenta tam remote: ergo similiter in proposito. Tandem a contrario, si quis praenideat, se fieri impotentem ad audiendum sacrum, incurrendo excommunicationem, non peccat specialiter contra hoc praecipuum, dando causam excommunicationi: ergo neq; a contrario, & c. De praecipuo autem confessionis & communionis non est eadem ratio: quia praecipuum confessionis per se obligat ad mundandam animam: & consequenter ad omnem dispositionem necessariam ad peccatorum absolutionem obtinendam: praecipuum autem communionis, etiam consequenter obligat ad praemittendam confessionem, si necessaria sit, vt reuera est in eo, qui peccati mortalis conscientiam

Anton. Caiet. Soto Nauar.

Prima excusatio.

Nauar.

Aduertendum.

Xyyy 3 habet:

habet : illa ergo duo praecepta multo maiorem connexionem habent cum diligentia adhibenda, vt censura tollatur.

Quaestio.

Solet etiam hic interrogari, an qui habet priuilegium, vt audire possit Missam tempore interdicti, teneatur eam die festo audire. Et ratio dubitandi est, quia nemo obligatur ad vtendum priuilegio suo, alioqui gratia onerosa fieret, & libera facultas in obligationem verteretur, ergo habens tale priuilegium non tenetur vt illo : sed, non vtendo illo, non obligatur ad audiendam Missam, ergo. Propter hoc aliqui censent partem negatiuam probabilem : sed mihi non videtur practice probabilis, vnde non est dubium, quin habens hoc priuilegium teneatur Missam audire, vt tenent Nauar. c. 21. nu. 3. Soro. d. 13. q. 2. art. 1. Et d. 22. q. 3. art. 1. & ratio est, quia interdum in tantum excusat ab obligatione audiendi Missam, in quantum ponit impedimentum ad audiendam illam, ergo, quacumq; ratione hoc impedimentum tollatur, obligatio praecepti suam vim retinet, & tollitur excusatio. Confirmatur & declaratur. Nam, si quis in vniuersis detineatur, excusatur ab executione huius praecepti : & tamen, si ex priuilegio ei concedatur liberus diebus festiuis, tenetur implere illud, quia iam est oblatum impedimentum. Idemq; esset de infirmo, etiam si per diuinam gratiam supernaturalem ei pro die festo sanitas concederetur. Neq; in eo casu cogitur quis vt priuilegio : sed, supposito priuilegio, cogitur seruare praeceptum : postumus enim in priuilegio intelligere quendam effectum quasi formalem, qui est, tollere inhabilitatem, vel impedimentum, & hunc necessario habent, hoc ipso, quod acceptatur, posito autem hoc effectu formali, absq; alio vsu, tollitur excusatio, & consequenter manet obligatio praecepti.

Responsio.

Nauar. Seco.

Effectus quasi formali priuilegij

Vltimo reuocatur ad hoc caput, impedimentum ignorantiae, quod spirituale est, & ab aliquibus inter impedimenta excusantia in praesenti computatur, vt videre licet in Sylu. & Rossel. & Antonin. supra : & est per se clarum, si ignorantia sit inuincibilis : qualis hic sepe esse potest facile, si sit ignorantia facti, sc. quod hic sit dies festiuis : sub qua ignorantia comprehenditur naturalis obliuio, vel inconsideratio : ignorantia autem iuris, si sumatur generaliter de toto hoc praecepto, sc. quod profus ignoretur, fideles habere hanc obligationem, vix admitti potest inuincibilis : nisi in homine valde stupido, aut in syluis enutrito, aut in pueris, quibus rationis vltus incipit elucescere. Si vero sumatur haec ignorantia circa obligationem huius praecepti in particulari, scilicet in hoc die festo cum his circumstantiis, &c. sic facile accidere potest, vt praeceptum existimetur non obligare, quando reuera obligat, & tamen, quod ob ignorantiam homo excusetur, vt in festo cum Caietano retigimus. Quando vero talis circumstantia censenda sit inculpabilis, ex generalibus regulis de ignorantia, consideratis in particulari circumstantiis & conditionibus personae prudenter iudicandum est.

Sylu. Rossel. Anson.

Secundum caput huius excusationis est impotentia corporalis : quae, si sit impotentia simpliciter, non habet difficultatem : quia ad impossibile simpliciter nemo obligatur : humilissimi autem impedimentum est, si aliquis in vinculis detineatur, vel quacumq; alia ratione cogatur non exire domo, aut non ingredi Ecclesiam, seu locum, vbi Missa dicitur. Item, si delit sacerdos, qui sacrum faciat, & Ecclesia adeo distet, vt non possit adiri. Item, si aliquis ita aegrotat, vt non possit ex lecto surgere, &c. Et, quia id solum proprie postumus, quod licite postumus, ad hoc caput reuocandum est casus in quo aliquis, si de data, & maxime, si iuramento firmata sit, vel praecepto Superioris, domi suae in te manere compellitur, quamuis corporaliter non cogatur : nam, cum inde non possit licite exire, simpliciter impotens reputatur. Solum posset in his & similibus casibus dubitari, an is, qui vi, vel agri-

tudine, vel quacumq; ratione alia, cogitur dominare, si habeat priuilegium, seu oratorium approbatum, in quo domi possit audire sacrum, ad hoc tenetur diebus festis. De quo nihil inuenio ab auctoribus dictum, videtur autem ex dictis in precedente puncto sequi, tunc ratione priuilegij tolli excusationem, & consequenter virgere obligationem praecepti. Nihilominus verisimilissimum est, in eo casu non teneri ad vtendum priuilegio : & in primis, si necessarium sit stipendiarium querere Sacerdotem, nemo ad hoc tenetur, sed solum ad audiendum Missam, quae in Ecclesia dicitur, quia praeceptum non obligat ad procurandam Missam, etiam dato stipendio Sacerdoti. Deinde, cum dicere Missam in domibus priuatis, etiam approbatis, de se sit odiosum, minisque decens reuerentiam debitam huic sacrificio, & praeter generales canones Ecclesiae, nemo obligatur ad vtendum tali priuilegio, vt possit aliud praeceptum Ecclesiasticum implere. Nam hoc non est tanti momenti, quale esse potest, vt sacrificium in priuatis locis non fiat. Item, quia ob causas minus graues & urgentes, excusatur quis interdum ab executione huius praecepti, vt videbimus : ergo etiam propter hanc poterit excusari. Et in his omnibus est magna differentia inter hunc casum, & illum de priuilegio interdicti : nam in illo ablato impedimento, nulla postea dispensatio fit in iure, sed regulari modo Missa dicitur, & auditur : quod in hoc casu non ita fit. Vnde hic melius, quam ibi accommodatur principium illud, quod nemo cogitur suo priuilegio vti : nam per hoc priuilegium formaliter ac per se non tollitur impedimentum audiendi Missam : non enim tolluntur vincula, nec coactio manendi domi, &c. Vnde necessarius est vsus, quasi effectus ipsius priuilegij, vt possit aliquis Missam audire : ad illud autem vsuum nemo obligatur. Ad hoc caput reducit impedimentum nauigantium, quae nec possunt ad terram accedere, vt Missam audiant, neq; et in mari eam audire, cum ibi dici non possit, vt supra dictum est : nam, licet interdum ibi Missa dicatur, quae vocatur sicca, tamen, & illud rarum est, & reuera illa non est Missa : & ideo in rigore ad illam audiendam non obligat praeceptum, quamuis optimum consilium, & deuotio- nis ac religionis indicium sit, illam audire : & aliquando etiam possit esse, saltem ad vitandum scandalum, necessarium. Haec autem procedunt in nauigatione, quae omnino est a terra remota, & postquam inchoata est : nam de caeteris iudicandum est, sicut de aliis iter agentibus, vel inchoantibus, de quibus infra dicemus. Tertium caput est, impotentia moralis audiendi Missam, quae difficilius est ad explicandum, quia nec consistit in physica impotentia, nec in diuisibili consilio, neq; vno ratum, sed plurimis modis accidere potest. Regula tamen generalis, quae a Doctoribus assignatur, est, tunc censeri impotentiam moralem, quando sine iactura alicuius boni mediocri aestimationis, aut sine magna difficultate vel labore Missa audiri non potest. Cuius ratio nulla est alia, nisi quia hoc praeceptum iuxta communem Doctorum interpretationem, & iuxta communem etiam consuetudinem cum hac moderatione latum est, & acceptum, vt non sit necessaria causa ad modum grauis ad excusandum. Postumus autem exempla adhibere in omnigenere bonorum corporalium seu temporalium : nam spiritualium, per se loquendo, non potest ex hoc actu timeri iactura, nisi in casibus in primo vel secundo capite comprehensis : nisi fingatur casus, in quo aliquis timeat occupationem ruinae spiritualis, si Ecclesiam adeat ad Missam audiendam. De quo inferius in vlt. ca. non nihil dicemus. Primum ergo corporalium bonorum est vitium, ergo in eundo vel redeundo ab Ecclesia, periculum vitium, quod timeat, vel ab hostibus, & inimicis, vel ab aere perflifero, vel ab alia simili causa, clarum est excusandum modo timor probabilis saltem coniecturatur : & secundum bonum non sit sola imaginatio confictus. Secundum bonum est salus corporalis : si ergo quis timeat iacturam salutaris, &c.

luis excusabitur: & hoc titulo excusantur infirmi, non solum, quando tam grauis est aegritudo, vt omnino non possint Missam audire, sed etiam, quando non possunt sine incommodo alicuius momenti à lecto surgere: imo, licet possint, & tam ceperint conualescere, excusantur, vel propter periculum reuincendi, vel etiam notabiliter retardandi conualescentiam. In quo ad discernendos varios casus, in primis bona fides supponenda est: deinde adiungenda prudentia: oportet enim vt in firmitas seu necessitas sit vera seu alicuius momenti: & quod periculum detrimenti probabile sit viri prudentis arbitrio: ad quod ferendum consideranda est distantia loci, labor audiendi Missam, & aeris temperies, seu qualitas temporis. Et optimum iudicium est, quando infirmitas impedit egredi lecto, aut domo ad alia negotia aequalis vel maioris laboris, quàm sit, Missam audire, nã si hæc non impedit, non est, cur excuset: & iuxta hæc principia iudicandum est de his, qui laborant quartana febris, & de foemina grauidis, quæ quodammodo in firmitantur. Tertium genus bonorum est honor, ratione cuius excusabitur, si quis timeat ab inimico iniuriam aliquam vel iacturam honoris, sicut de vita dicebam: hoc etiam titulo auctores omnes excusant eum: qui non potest decenter vestitus ad ecclesiam ire, neq. n. cogendus est, cum dedecore in publico apparere: nam, qui in coistatu est constitutus, ei, qui in vinculis exiit, in iure comparatur: in Leg. in eadem causa ff. ex quibus causis, &c. Huc etiam pertinet, si foemina nobilis non possit domo exire sine decore comitatu: quod suo etiam modo in viris locum habet: hæc tamen omnia regulanda sunt, iuxta personarum qualitatem & honestam patriæ consuetudinem: neq. extendenda est nimium hæc licentia ad superfluos ornatus, præsertim foeminarum: & considerandum est, an in huiusmodi casibus, possit aliquis secrete, vt v. g. summo mane, vel in Ecclesia à concursu populi remota, Missam audire: tunc enim nõ est, cur præcedente occasione excusetur, cum non sit difficile, & vitare tale incommodum, & præceptum implere. Præterea hoc titulo excusatur, qui grauem timet infamiam, si domo exeat, & coram aliis appareat, vt v. g. si foemina, quæ honesta existimatur, grauida sit, nec possit lapsum suum occultare, nisi domi se continendo: excusari potest, ne se prodatur: idem est in quocunq. casu simili, addita supra dicta limitatione, scilicet, quando quis non potest alias occulte Missam audire.

Quarto numerantur bona externa temporalia, in quibus contingere potest, vt aliquis graue damnum timeat, si ad Missam audiendam accedat, vt v. g. si quis timeat furtum, si domum solam relinquat: vt si in domo ab oppido distante quis habitat, &c. Item hæc ratione excusatur aliquis, si dum iter agit, ne comites via relinquat, Missam perdit, quando probabile periculum latronum imminet, si solus incedat: & etiam, si speret expensas itineris ab eis accipere, vel aliud simile commodum, quod amittere, temporale damnum grauis momenti censetur. Nam solum amittere comites via, si nullum aliud incommodum adiungatur, non videtur sufficiens causa ad Missam omittendam, vt sumitur ex Caiet. verb. Festa. Armil. verb. Missa, n. 30. & aliis cõmuniter. Similiter qui oues, v. g. suas, aut res similes, cogit sine custodia in agro relinquere, vt Missam possit audire, regulariter loquendo, probabilem habet excusationem, quia probabile est periculum grauis nocementi: & sic de aliis. Vltimo sub hoc capite continetur omnne temporale vel corporale graue incommodum, quando sine illo Missa audiri non potest: quia non censetur hoc præceptum cum tanto onere obligare. Et hæc ratione excusatur quis ab audienda Missa, si necessarium illi sit longum iter, vt v. g. vnus leuæ, peditem conficere: idemque est, quamuis non sit tanta distantia, tamen est aliqua notabilis: & aliunde tempestates ingruunt, & pluuia: ita vt, prudenter

rem considerando, notabile censetur detrimentum. Ex hoc etiam capite iudicandum est de iter agentibus, vel nauigantibus per flumina, aut iuxta maris littora. Nam in primis, si iter inchoent in die festo, (quicquid sit de alia questione, an id sit contra obseruationem festi, quantum ad præceptum negatiuum de non exercendis operibus feruilibus.) certum est, per se loquendo, non excusari ab audienda Missa eodie, priusquam inchoent iter, nisi probabiliter sperent audire illam in via: quia tunc nulla est ratio excusationis, nisi tanta sit necessitas accelerandi iter vt graue detrimentum timeatur, si quis in audienda Missa immoretur, vt v. g. si ea de causa nauigationem sit amissurus, aut comites via sibi necessarios ob aliquam grauem causam, vt supra in finuatum est, aut certe, si occasio alicuius grauis negotij transigendi & obtinendi, ea de causa perdat: & idem fere iudicium est de quouis die, in quo iter continuatur. Nam eadem est ratio. Rursus ex hoc capite excusantur, qui Missam audire non possunt propter urgentia negotia, quæ dilationem non patiuntur sine magno detrimento boni temporalis cuiuscunq. quod intelligendum est, quando neq. huiusmodi negotia commode præueniri possunt, ne Missa auditionem impediunt: vel è contrario Missa præueniri potest, vt negotiis vacetur: nam si quis prius velit nimio somno, indulgere, vt postea non possit vtriusq. oneri satisfacere, nõ propterea excusabitur à culpa, ratione præteritæ negligentia: quod procedit, quando futurum impedimentum præuisum est, & nihilominus non fuit diligentia adhibita ad implendum præceptum. Et per hæc iudicandum est de similibus casibus, qui in infinitum multiplicari possunt.

Quartum caput sumi potest ex titulo charitatis, propter quã, vt alias Bernard. dixit, conuenienter omittitur, quod propter eandem est introductum. Duo autem modis potest hæc excusatio accideri: primo si necessarium sit, Missam omittere ad subueniendum proximo in necessitate existenti, & hoc titulo excusant oes Doctores, & præsertim Caiet. Soto, & Nauar. locis supra citatis, eum, qui propter infirmitatem, cui inuenit, ne illum solus, vel absq. necessario ministerio relinquat, Missam omittit: quod intelligitur, quando virum que fieri non potest, & quando graue proximi ægotantis detrimentum inde timeretur, vt prædicti auctores declarant, & per se euident est. Nam si vtrumq. commode potest fieri, nulla est excusationis ratio: si autem ex absentia, quæ fieri potest ad audiendam Missam, non timeretur graue detrimentum, moraliter loquendo, non vrget proprie necessitas charitatis. Cum autem de graui detrimento agimus, non est intelligendum, oportere, vt vita infirmi periclitetur, aut q. aegritudo, ipsa multum augeatur, vel aliquid simile: sed satis est, q. vel ea de causa ægotato non possint conueniente tempore remedia adhiberi, maxime, cum aegritudo est alicuius momenti vel certe, si grauis sit, satis erit, q. infirmus, solus relictus illo tempore toto pati debeat laborem, & animi anxietatem, vel aliquid simile. Denique, quando aegritudo nimium grauis est, vel extreme vrget, si quis bona fide, & ex animi pietate, vt minister infirmo, eiusq. curam gerat, Missam omittat, raro peccabit moraliter, etiam si fortassis in re ipsa eius ministerium nõ sit admodum necessarium: vel quia satis est, q. sit valde vile: vel certe, quia bona fides, & perturbatio, quæ interdum adiungitur, excusant: in quare, sicut fere in aliis, quæ huiusmodi sunt, prudens arbitrium adhibendum est, quod si homo nõ habet, quæ consulat, & bono animo faciat, q. videtur charitati consonum, non peccabit mortaliter. Quod autem dictum est de hoc misericordie opere, iudicandum est de reliquis, siue corporalia sint, siue spiritualia, quando reuera proximus est in necessitate, & differri non potest remediũ, sine graui eius detrimento, vt si propter audiendam confessionem periclitantis infirmi,

3. Genus bonorum corporum.

4. Genus bonorum corporum.

Caiet. Armilla.

Vltimo genus bonorum corporum.

Missam omittam, vel quid simile. Dices: Hæc opera misericordie in his casibus non sunt simpliciter in præcepto, quamuis ex se bona sint, & in consilio: sed opus præcepti non fit intendendum propter opus consilij: ergo Respondetur, sæpe accidere, vt huusmodi opus sub præceptum cadat: & tunc nulla est difficultas, quia præceptum charitatis, maioris est necessitatis, non tamen semper oportet expectare eam præcepti obligationem: sed satis est, quod necessitas proxima grauis sit, modo explicato, vt propter beneficium illi præstandum excusetur quis ab obligatione huius præcepti: sicut propter vitandum proprium incommodum licet mihi Missam omitte, quâuis ex præcepto non teneat illud incommodum vitare: nã charitas facit, vt alium diligam, sicut me ipsum. Nec tunc præfertur opus consilij operi præcepti, sed res constituitur in tali statu, & cum talibus circumstantijs, vt propter bonum proximi, cesset obligatio præcepti: nam, cum affirmatiua præcepta non obligent pro se, facile potest, mutatis circumstantijs, eorum obligatio cessare. Alio modo potest contingere hæc excusatio, non tam ad beneficium præstandum proximo, quam ad non afferendum illi aliquid malum, quod vix potest intelligi, nisi per modum vitandi scandalum: quia ite ad Missam audiendam non est actio, quæ per se possit in damnum proximi redundare: solum ergo potest inde damnum euenire, vel quia ea de causa omittitur actio, proximo necessaria, quod pertinet ad præcedentem modum: vel, quia inde fuerit proximus aliquam occasionem peccandi: & hoc modo interdum non peccabit femina cõtinendo se domi die festo, ne sit occasio peccandi alicui, à quo scit ex nimia fragilitate se perdit ad amari: nam, licet ad hoc non teneatur, quia illud scandalum non est datum, sed acceptum, quod homo nõ tenetur vitare cõ tanto detrimento: nihilominus tanta potest esse necessitas & fragilitas proximi, vt liceat hoc modo ei subuenire, vt retergit Soto hic, d. 13. q. 2. art. 1. Et eadẽ ratione, si quis eũdo ad Ecclesiã, timeat fore, vt ea occasione graues rixæ sequantur, aut propter veteres aliquas inimicitias, aut propter locorum ordinem & dignitatẽ, vel aliquid simile, sufficiens cenferi debet excusationis ratio. Atq; hoc titulo inter alios excusant auctores mulierẽ, quæ timet grauem rixam seu irã mariti, Missam omittit, vt ei conuenienti tẽpore & modo omnia præparet, & occasione perturbationis auferat, quod intelligendũ est, quando perturbatio est grauis, & alicuius momenti, nam si sit leuis, potius distimulanda & ferenda est. Et idem est, si maritus ob zelotypiam nolit, eã domo exire, nam si non possit cõiux vitare id sine graui incommodo, potest, etiam in hoc, marito obtemperare, seu cõdescendere, licet oppositum significet Anton. 2. p. tit. 9. ca. 10. §. 2. sed fortasse intelligit, quando non est periculum grauis incommodi. Et per hæc de similibus iudicandum est.

Scandalum non datum, sed acceptum non tenetur vitare. Soto.

Anton.

Quintum caput excusationis est ratione officij: & licetiam reuocatur excusatio, ratione iustæ obedientie: hæc ratione excusantur milites custodiẽtes castrum aut portas ciuitatis, aut vigilias facientes, quãdo sine periculo aliquo non possunt suo muneri desesse: sic etiam excusantur pastores, quãdo per alium, munus suum supplere non possunt. Excusantur vectores mercij, & cursores qui muneri suo satisfacientes, non possunt sine magno incommodo ad audiendam Missam detineri, vt notauit Caiet. verb. Festa. Excusantur etiam matres, vel nutrices, quæ neq; infantes deserere possunt, neq; frequenter expedit, eos ad Ecclesiã deferri, &c. Sed præcipue hoc titulo solent excusari famuli, qui, vt dominis suis ministrant, Missam omittunt: quæ res, quoniam valde practica est, nonnulla expositione indiget. Nam in primis, si ministerium sit necessarium iuxta communem & ordinarium viuendi modum, vel iuxta occurrentes, morales, & rationabiles occasiones, certum est, nec dominum peccare præcipiendo, nec famulos, parendo:

quia illa est grauis & rationabilis causa, & moralis necessitas: quod semper intelligendum est, cum limitatione supra innotuata, quando famulus non potest mediocri diligentia adhibita, opportunum tempus præuenire, vt Missam audiat, non tamen tenetur adhibere extraordinariam diligentiam, verbi gratia, citius surgendo, aliquid ab organario, & secundum rationem moderato, somni tempore, detrahendo, vel aliquid simile: quamuis enim hoc consulendum sit, tamen præceptum ad id non obligat. At vero, si ministerium non sit ita necessarium, sed possit, vel in alium diem, vel in aliam horam sine incommodo differri, domini quidem male faciunt, & grauer peccant, id præcipiendo, cum non solum teneantur non impedire sibi subiectos a Missa audienda, verum etiam debitam curam & diligentiam adhibere, vt Missam audiant: quia ad eos pertinet cura familiarum, vt in ea Ecclesiastica præcepta feruntur, vt in proposito notauit Soto hic, & li. 2. de iust. q. 4. art. 4. Syl. verb. Missa. 2. q. 1. Nauarr. c. 21. n. 9. & 10. Anton. 2. p. 9. c. 10. §. 1. & significauit Amb. in hom. 33. quadrag. & Annot. citatur in c. Anputatis. 8. d. & colligitur ex illo Paul. 1. ad Cor. 5. Si quis suorum, maxime domesticorum, curã non habet, idem negauit, & est infidelis deterior. At vero famuli, si absq; magno incommodo possint subterfugere, & Missam audire, non obediendo dominis, debent id facere, etiam si aliqua leuis rixa intercedat: si tamen necesse est, aut dominos deserere, aut graue aliquod detrimentum ea causa pati, ea ratione excusari possunt, nec censentur præferre hominis præceptum diuino aut Ecclesiastico mandato, quod nunquam licet: sed censentur tunc Ecclesia nõ obligare cum tanto detrimento. Et hæc est differentia inter res prohibitas, quia malæ sunt, & malas, quia prohibentur: quia ab illis nunquam potest separari malitia & prohibitio: & ideo propter nullum incommodum fieri possunt, etiam si à domino præcipiantur: ab his vero separari potest ratio præcepti seu prohibitionis, & consequenter ratio malitiæ: & ideo, si propter vitandum incommodum, obligatio præcepti cesset, fieri, vel omitti possunt ad obediendum homini præcipienti. Sicut etiam si quis minetur mortem alteri, si Ecclesiã adeat ad Missam audiendam, potest illam omittere, dummodo id non fiat in contemptum vel iniuriam religionis: in quo non præfert timorem humanum Ecclesiasticæ obedientie, sed cessat Ecclesiastici præcepti obligatio, occurrente tali periculo & incommodo: ita ergo est in presenti, quando sine graui incommodo vitare non potest famulus, quin domino suo obsequetur: supponimus. n. tale mandatũ non esse contemptum religionis: sic enim illud facere esset intrinsece malum, & ideo propter nullum incommodum vitandũ licere potest: sed loquimur de communi mandato, seu ministerio de se indifferente, & propter cõmodum humanum, vt regulariter cõtingit. In quo etiam aduertere oportet, debere famulum in tali euentu, prius certiorẽ facere dominũ, quod Missam nõ audierit: & procurare, quoad commode possit, ab illo obtinere, ne se impediatur, quominus Missam audiat: quia debet, quod in se est, facere, vt præceptum seruet: & iniquum impedimẽtum euitet, si nõ possit, tunc excusabitur, vt dictum est: reuertitur autẽ, si hoc fit frequens & quasi in consuetudinem acta opportunitate, tale ministerium relinquere, & cõmodum aliud, seu dominũ quærere, cum in seruicio, Ecclesiã præcepta possit seruare. Et in his sero conueniunt Auctores. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 5. & cap. 10. §. 2. Palud. in 4. d. 15. q. 5. concl. 2. Caiet. 2. q. 1. artic. 4. & in Sum. verb. Festa, circa finem, Sylu. supra, & verb. Dominica. q. 4. Nauarr. supra, d. 13. n. 7. qui citat Rossel. & iuxta hæc loquendum est de uxore respectu mariti, & de filijs respectu parentum, & de militibus respectu ducis, & de omnibus similibus. Sextum caput excusationis est conseruado ex aliqua rationabili causa introducta, & à pastoribus Ecclesiæ

Sylu. Nauarr. Anton.

Antonin.

Sextum est excusatio

deleat & tolerata. Huiusmodi sunt nonnullæ consuetudines, præsertim ad fœminas pertinentes. Vna est, quæ post partum per aliquos dies, etiam si plene conualescerint, ab Ecclesiâ ingressu abstinent, quod si non faciunt ex superstitione, aut Mosâico ritu, sed ex quadam reuerentia ac deuotione, non improbandum in ca. vnicuique, de Purificatione post partum: & ideo, si de hoc sit introducta consuetudo, non est improbanda, sed excusari potest, vt Caietan. notauit, verbo, Festa. Propter consuetudinem autem mensuram (vt hoc obiter adnotemus) non est Missa omittenda, per se loquendo, & seclusa ægritudine, vel debilitate, quæ illi æquiualeat, vt notauit Nauarr. cap. 21. num. 9. ex d. cap. de Purificatione post partum, & ex ca. vlt. distinct. 5. vbi Gregor. ait. Mulier, quæ ex consuetudine mensuram patitur, prohiberi, Ecclesiam intrare, nõ debet, nec à communione mysterio. Adit autem ibidem Greg. 3. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est: ergo eodẽ modo dicere possemus si abstinere voluerit, ab ingressu Ecclesiæ, laudanda esse ergo ex illo textu potius videtur colligi, hæc posse esse piam & sufficientem excusationem, quamuis non necessariam. Respondetur, Gregorium in illis verbis vltimis non loqui de cõmunionis præcepta: nõ si quæ mulier eam omitteret ob huiusmodi causam, nõ esset laudanda: sic ergo dicendum est de ingressu Ecclesiæ: & ita sine dubio, regulariter loquendo, impedimentum hoc non est sufficiens, nec de hac re introducta est: nec, moraliter loquendo, introduci potest consuetudo: si vero aliquando timeretur exterior aliqua indecentia, seu irreuerentia loci sacri, tunc posset excusatio esse sufficiens. Alia consuetudo est viduarum, quæ post viri mortem, per aliquot dies domo non exeunt: & ea de causa Missam omittunt, quæ consuetudinem omnes Doctores approbant, Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. & in Sum. verb. Festa. Anton. Syluest. Nauarr. locis supra citatis, & fere omnes Summistæ: nam consuetudo illa fundatur: tum in quadam decentia & honestate viduarum: tum etiam in rationabili significatione & ostensione tristitiam. Adhibent tamẽ fere omnes authores prædicti moderationem: scilicet, vt tempus illud non prolongetur nimium; vt 8. per annum, aut plures menses, sed ad summum, per mensem, vt expressius notant Syl. & Rossel. Sed non existimo, posse hanc moderationem vna regula pro omnibus definituram in fœminis nobilioribus, sed esse consuetudo, vt longiori tempore domi maneant, quam in aliis. Vnde Nauar. supra num. 4. ait non posse damnari hanc consuetudinem in fœminis nobilibus, etiam si per annum extendatur, quamuis laudabilis esset, illam non seruare. Itaq; si reuera consuetudo introducta est, & præscripta, & Prælati Ecclesiæ non contradicunt, ab vnaquaq; fœmina seruari potest: quia per talem consuetudinem abrogatum est præceptum audiendi Missam in hac parte: pertinet tamen ad Episcopos modum ponere huiusmodi consuetudini, vt non nimium extendatur. Bene autem aduertit Nauar. oportere, vt quæ hanc consuetudinem seruant, quoad Missam non audiendam in Ecclesiâ, simpliciter eam seruet, nec domo egrediantur ad res alias: quod & nos supra de infirmis in simili notauimus. Alia consuetudo est virginum nubiliu, quæ cum iam sunt nubiles, non exeunt in publicum, & ideo Missam omittunt. Quam (si reuera introducta sit, tolerata, & sufficienter præscripta) sufficienter esse ad abrogandum hoc præceptum in hac parte, & consequenter ad excusandum, tam ipsas virgines, quam earum parentes, docent Caieta. Soto, Syluest. Nauar. & reliqui authores locis citatis: nam, licet consuetudinem hanc non laudent, tamen, si semel introducta sit, sufficere censent ad prædictum effectum: nam, cum non sit intrinsece mala, potest humanam legem abrogare. Quin potius addunt idem authores quod si propter talem consuetudinem iam nõ decet, huiusmodi virginem nubilem domo exire: & alio-

qui mater timeat aliquid honestati, & bonæ famæ eius contrarium, si sola domi maneat, consequenter etiã excusari matrem ab audienda Missa: non hoc titulo consuetudinis, sed aliis, scilicet, quia sine graui detrimento, & satisfaciendo, vt debet, muneri suo, Missam audire non potest. Sed reuera hoc ipsum declarat, consuetudinem hanc esse valde irrationabilem: & vno inconueniente dato, alia multiplicari: multo enim melius custodirent matres filias suas: secũ eas ad Missam ducendo, quam domi relinquendo. Neque in hoc potest esse morale periculum pudicitia, regulariter loquendo. Vnde magis auctoritatis, quæ pudicitia causa, hoc introductum videtur: eo vel maxime, quod huiusmodi virgines, quæ hoc titulo Missam omittunt, fenestras non fugiunt, & domo exeunt ad ludos & alia publica spectacula videnda. Quapropter licet consuetudo hæc simpliciter damnari non possit, tamen magna prudentia moderanda est: & quoad fieri possit, auferenda, præsertim (vt Nauarr. notat) omnino suadendum est, vt, saltem solemnioribus festis, huiusmodi virgines Missam audiant. Nam perpetuo illam omittente, intolerabile, & Christianis hominibus indignum est.

Septimum caput excusationis addi solet, scilicet, maior utilitas vel necessitas spiritualis: sic Angelus supra excusat eum, qui propter concionem audiendam, sacrum omittit. Similiter alij excusant eum, qui tempore Missæ continetur peccata sua: maxime, si eo tempore habeat copiam confessoris, quam postea cum difficultate obtinebit. Sed huiusmodi excusationes, & similes, per se ac moraliter loquendo, insufficientes sunt: quia opus præcepti non est omittendũ propter huiusmodi voluntaria opera, etiam si vtiliora esse fingantur, alias posset quis sacrum omittente, vt in suo cubiculo contemplationi Dei vacet, ex qua maiorem fructum spiritualem sibi comparare existimat: nam per se nullus est maior fructus, quæ seruare mandata eo tempore, quo ipsa obligant. Igitur huiusmodi casus solum habent locum, quando vrget aliqua moralis necessitas.

Vltimũ caput excusationis sumi solet ex parte sacerdotis, quando, scilicet, ille est nominatim excommunicatus: tunc enim ita iudicandum est, ac si omnino deesset copia ministrum. An vero idem sit dicendum de sacerdote publice concubinario, supra tactum est in materia de sacramentis in genere: nam, licet antiquo iure prohibitum esset, ab huiusmodi sacrum audire, c. vlt. de Cohabit. Cleric. & mulierum. c. Nullus, cum sequente. 32. d. cap. Si qui sunt, si. d. tamen nouo iure Concilij Constant. hoc ius limitatum fuit correctum est, vt non obliget, donec huiusmodi sacerdos sit ab Ecclesiâ denunciatus: tãquam excommunicatus seu præcisus: vt docent Ledesma. 1. p. 4. q. 5. art. 6. dub. 9. & Nauar. de Pœnit. d. 6. c. 1. §. Laboret. nu. 22. & in Sum. c. 25. n. 79. & ex antiquis videri potest Gabr. in 4. d. 13. q. 1. Maior. d. 9. q. 4. Cai. 2. 2. q. 12. art. 2. Propter iniquitatem ergo sacerdotis nunquam excusatur aliquis à Missa audienda, nisi sacerdos sit ab Ecclesiâ nominatim præcisus, & excommunicatus, vt prædicti authores sentiunt, & Anton. Syl. & alij supra citati.

Sed inquirere nõ immerito aliquis, an eo casu, quo aliquis rationabili causa excusatur à Missa audienda, teneatur loco illius aliquas orationes fundere, vel externum aliquem cultum Deo exhibere. Ita enim affirmarunt Scotus in 4. d. 9. & 17. q. vnica, & indicat Angel. verb. Feria, num. 43. quia præceptum orandi & colendi Deum, diuinũ est ac naturale: tempus autem implendi illud, diuinũ est ac naturale: vt sit diebus festis: simulque statutum est, vt per actum audiendi Missam impleatur: vnde, si non sit occasio exercendi illum actum, erit obligatio implendi illud præceptum diuinum alio actu orationis vel cultus. Sed hæc sententia nõ habet sufficientem fundamentum: quia, quamuis finis huius præcepti sit diuinus cultus, tamen non cadit in præceptum

Exponitur Gregorius.

Causa Antonii. Syluest. Nauar.

Rossel.

Notabile.

Septimũ caput excusationis.

Vltimũ caput excusationis.

Conc. Const.

Quæstio.

ceptum, nisi quatenus est materia eiusdem præcepti: sed materia huius præcepti solum est actus audiendi Missam, ergo solum ad hunc actum obligat tale præceptum, ergo intercedente excusatione sufficiente in tali actu, nulla succedit obligatio alterius actus, quia nullum est præceptum, in quo fundetur: illud enim diuinum præceptum orandi vel colendi Deum, solum definitur ad tale tempus diei festi, quatenus per talem actum exhiberi potest, & non alias. Et confirmatur, nam, qui absque excusatione, & peccando mortaliter, omisit sacrum, non tenetur eodem die aliis actibus colere & orare Deum: ergo multo minus tenebitur, qui excusatur: est ergo optimum illud consilium: nullum tamen est latum ea de re præceptum, vt latius docuit Nauar. in Manuali, c. 1. nu. 7. & in c. Quando. de Consecr. d. 1. notab. 3. nu. 5. cum Antonino, Adriano, & aliis.

Ultimo quaestio satis fit.

Ultimo inquiri potest, vtrum aliqua pena iure imposita sit huius præcepti transgressoribus. Respondetur, nullam esse propter hanc culpam, censuram ipso iure impositam, neque aliam Ecclesiasticam penam, quæ ipso facto incurratur: solum in dicto cap. Missas. de Consecr. d. 1. de transgressoribus huius præcepti dicitur, (Ab Episcopo publice confundantur.)

Quod intelligi potest, vt Doctores ibi exponunt, vel de publica correctione & reprehensione, veletiam, si opus sit, de excommunicatione. Atque hinc manauit consuetudo, quæ præsertim in aliquibus villis vel paruis oppidis seruatur, si quis Missam non audiat, publice à Parocho denuntietur: quod tamē prudenter faciendū est, ita vt prius certo constet de delicto: & quod aliquo modo sit publicum & frequens, vel cum pertinacia commissum post aliquam secretam correctionem: nam alioqui periculum esset, vel puniendi interdum innocentes, vel infamandi proximum sine sufficienti causa. Quando vero huiusmodi correctio non sufficit, & frequenter Missa omittitur, adiungi potest & debet excommunicationis seueritas: nam præterquam, quod huiusmodi culpa grauis est, quando est ita frequens & diuturna, magnum scandalum generat: adeo vt, qui per longum tempus Missam audire negligit, suspectus de sua fide habeatur: sicut & conuersio optimum indicium fidei & deuotionis est, etiam in diebus profestis Missarum solemnibus interesse, Deoq; condignum cultum offerre: cui sit honor & gloria per infinita seculorum secula, Amen.

);1

Hactenus de arcano Missæ sacrificij mysterio.



INDEX